BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
12 1
2/7
115.
14-14, F. 23

Digitized by Google

SPECIMINA
MORALIA
P. F. AEGIDII GABRIELIS
LEODIENSIS

In Alma Vniuerſitate Louanienſi Sac. Theol.
Bibliotheca Licentiati Transpontina

TERTII ORDINIS S. FRANCISCI,

STVDIORVM

REGENTIS GENERALIS,

Deſinitoris Generalis Apoſtolici,

Et per Belgium Commiſſarÿ.

EDITIO SECVNDA

Ab Authore correcta, & aucta.

Hic liber fuit prohibitus [illegible] in Mense [illegible]
a Sto Officio [illegible] Dni post-
quam fuit examinatus in
una longua particolari ad hoc deputata

ROMAE,

Typis FRANCISCI TIZZONI, Anno M. DC. LXXX.

Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DOMINO IESV CHRISTO

A MORTVIS RESVRGENTI,
NON AMPLIVS MORIENTI,
MORTIS TRIVMPHATORI,
HOMINVM VIVIFICATORI,
CÆLI, ET TERRÆ PACIFICATORI,
SVPER OMNES CÆLOS ASCENDENTI;

NECNON

DOMINAE MARIAE

MAGNAE ILLIVS MATRI,
VIRGINI IMMACVLATAE,
TRIVMPHORVM COMPARTICIPI,
AD CÆLESTIA REGNA ASSVMPTÆ,
ANGELORVM, HOMINVMQ; REGINÆ,
SINGVLARI PATRONÆ SVÆ,

D. D. D.

FR. ÆGIDIVS GABRIELIS LEODIENSIS
AD MAIOREM VTRIVSQVE GLORIAM
SVAM, ET PROXIMI SALVTEM.

Digitized by Google

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. P. Ap.

I. de Ang. Arch. Vrb. Viceſg.

Imprimatur
Fr. Raimundus Capiſuccus Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

Digitized by Google

PRAEAMBVLA
AD
SCIENTIAM MORALEM.

§. I.

Ordo Scientiæ ſpeculatiuæ ad Moralem.

QVãdoquidem homo factus ad Imaginem,& Similitudinem Dei poſitus ſit in Paradiſo voluptatis, vt operaretur ibi,& cuſtodiret illum; atque ex illo eiectus ſit,quia noluit intelligere vt benè ageret,ſed malè egit vt intelligeret, ſiue vt eſſet ſicut Deus ſciens bonum & malum; idcircò quiſquis vult ad Paradiſum redire,debet per contrariam viam incedere, ſcilicet intelligere vt bene agat: ac proindè omnis Scientia vera, quæ ad Paradiſum ducit, habet initium in intellectu, & eatenùs eſt ſpeculatiua; terminum verò in voluntate, & eatenus eſt practica. Initium igitur omnis Scientiæ eſt Idea, ſeu clara, & diſtincta cognitio Veritatis, & terminus eſt Amor Veritatis, à quo omnis actio, & operatio moraliter bona incipit; atque adeò

reſpectu actionis, & operationis Amor habet etiam rationem Principij.

§. II.

Principia Scientiæ ſpeculatiuæ.

DVo ſunt Principia Scientiæ ſpeculatiuæ, videlicet *Idea Dei*, & *Idea ſui*. Idea quidem Dei, quia homo factus eſt ad Imaginem Dei, vt illum cognoſcat: Idea verò ſui, vt homo ſeipſum cognoſcat, & ſuam à Deo dependentiam agnoſcat. Idea Dei in homine repræſentat ipſi quod naturaliter cognoſcitur ad diuinam perfectionem pertinere. Primò, quod ſit in ſe *Summè perfectus*, ſeu infinitam habens perfectionem; ita vt primum attributum diuinæ perfectionis ſit *Infinitum*. Secundò, quod in infinita ſua perfectione habeat infinitum intellectum, ideoque ſit *Omniſcius*; & infinitam voluntatem, ideoque ſit *Omnipotens*. Tertiò, quod infinita ſua ſcientia comprehendat ſummam perfectionem ſuam, & per voluntatem infinitam infinito amore illam amet, & ideò ſit *infinitè Beatus*. Quartò, quòd ex ſua infinita beatitudine, velut omnis boni fonte voluerit creare Angelos in cœlo, & homines in terra (vt fides docet) vt eos redderet per omnipotentiam ſuam beatitudinis ſuæ participes, donando illis intellectum, & voluntatem cum ſcientia, & potentia ad ipſorum beatitu-

titudinem ſufficientibus, & ideò ſit etiam ipſis *ſummè bonus*, ſeu ſummum illorũ bonum. Quintò, quod omne lumen in intellectu ipſorum ſit à lumine Intellectus eius, in quo nullum eſt falſitatis periculum, & propterea ſit *ſummè verax*. ſeu *prima veritas*. Sextò, quod omnem illorum finitudinem ſua infinitate poſitiuè excludat, & ideò *ſit ſimpliciter perfectus in omni genere perfectionis*, & hi ſecundum quid perfecti, id eſt, perfectus Angelus, perfectus homo: adeò vt in perfectionibus diuinis videant ſuas imperfectiones, ſeu diſtantiam ſuarum perfectionum finitarum ab infinita perfectione Dei. Idcircò Ideæ Dei in homine adiungitur Idea ſui, vt Deum, & ſe intuendo videat ſuam à Deo differentiam, & per conſequens dependentiam. Videt ergò homo per Ideam ſui iunctam Ideę Dei, quòd illud modicum perfectionis, quod habet, acceperit à Summè Perfecto, à quo omnis perfectio eſſe debet, ne aliqua perfectio exiſtat, quæ nec in ipſo, nec ab ipſo ſit, adeòque independens ſit ab eius Omnipotentia, quæ non foret Omnipotentia, ſi aliquid ei non ſubeſſet; ne etiam aliquid ſit à nihilo, cum non ſit à Summè Perfecto, quod omnem perfectionem formaliter, vel eminẽter continere debet; & ſic in Idea Dei videt homo quod Deus ſit omnium creatnrarum *Principium*, & omnium *Finis*, vt omnia eò redeant, vnde profluxerunt. Videt, quod Deus ſua *Immenſitate* tranſcendat omnia ſpatia, ſua *Vbiquitate* omnia loca,

ſua *Aeternitate* omnia tempora, ſua *Immutabilitate* omnes omnium temporum, & locorum mutationes, &c. Hinc reflectendo ad Ideam ſui videt homo ſuam à Summa Perfectione diſtantiam, videndo ſe per omnia dependentem, & finitum, ſcilicet intellectu, poteſtate, ac proinde libertate ac beatitudine, quas ad menſuram à Deo Immenſo accepit, tum præſentia ad locum, coexiſtentia ad tempus, tum mutabilitate corporis, & animæ, &c. Nec opus eſt ponere tertiũ principium, ſcilicet ideam aliarum rerum creatarum: quia in Idea Dei, & in Idea ſui videt homo quidquid excellenter, vel deficienter in alijs creaturis continetur: nam in Idea Dei videt illud, quo Angeli creduntur hominem excedere, quia videt incorporeitatem. ſeù potiùs eſſentiam ſpiritus in cogitatione nuda conſiſtentem; cum eſſentia hominis etiam corpus includat: videt maiorem intellectus, & potentiæ latitudinem, ideoque maiorem libertatis efficaciam: videt independentiam à loco corporeo, & minorem in cogitationibus mutationem quoad tempus, &c. & in Idea ſui videt illud, quod ad propriam mentem pertinet, quia ſuarum perfectionum, & imperfectionum in cogitationibus conſiſtentium eſt conſcia. Videt in eadem Idea, quod ad naturam ſui Corporis pertinet, nimirum extenſionem, quæ deficit à perfectione cogitationis, quæ eſſentiam mentis conſtituit: licet enim mens ſit affixa corpori mediantibus ſenſibus, & ratio-
ne

ne illius habeat reſpectum ad locũ corporeum, tamen ratione intellectus & voluntatis ſuper omnia loca exiſtit,& magis eſt vbi intelligit & amat,quam vbi ſentit & animat Licet etiam mens diuerſis cogitationibus moueatur per tempora, in quantum non omnia ſimul intelligit; minus tamen per illa mouetur, quam corpus per loca, dum ad ſeipſam redit abſtrahendo ſe à corporalibus,& ſibi ſuoq; Principio intendit,ſcilicet Deo vti intendere debet, quia ad imaginem & ſimilitudinem Dei creata eſt. Vnde apparet non eſſe ponendum tertium principium ſcientiæ ſpeculatiuæ,nempè ideam aliarum rerum creatarum, quia omnes res creatæ vel ſunt incorporeæ, vt Angeli & mens humana, vel corporeæ.Iam autem ex dictis ſatis liquet,quomodo in Idea Dei videatur illud,quo Angeli creduntur hominem excedere;& in Idea ſui videatur illud, quod ad propriam mentem pertinet, & ad naturam corporis humani, quæ deficit à perfectione mentis; & conſequenter quid pertineat ad naturam aliarum rerum corporearum circumſtantium, ſcilicet extenſionem, quæ in generali eſt eadem omnium corporum, & in ſpeciali per diuerſos modos diſtinguitur,quorum omnium non eſt poſſibilis ſcientia in ſpeciali, quia ipſorum indefinitus eſt numerus,prout ſunt indefinita corpora. Hæc per tranſennam de Principijs ſcientiæ ſpeculatiuæ à nobis hic dicta ſunt, vt ſpecimen noſtræ ſpeculationis, & certitudinis eius in Philo-

ſophicis appareat: quibus noſtram Moralem ſuperextruimus, & per Fidem adiunctam perficimus.

CONCLVSIO.

Itaque qui Deum,& ſeipſum bene nouit, omnem ſcientiam ſpeculatiuam habet, quam antiqui Philoſophi definierunt Rerum diuinarum humanarumque ſcientiam.

§. III.

Differentia Philoſophiæ *à* Theologia.

EST autem hæc differentia inter Philoſophiã & Theologiam,quod illa procedat ex Idea quæ nobis ineſt, hæc autem ex Idea, quæ Deo ineſt, & propter reuelationem creditur à nobis ipſi ineſſe: v. g. qui philoſophicè tractat de Deo, loquitur ſecundum Ideam Dei velut Entis Summè Perfecti ſibi innatam: qui verò Theologicè tractat de Deo, loquitur ſecundum Ideam æternam ipſimet Deo inexiſtentem, quam credit illi ineſſe propter reuelationem,quam ab ipſo accepit mediante teſtimonio Eccleſiæ: vnde Scientia Philoſophica eſt ſcientia homini propria, & ſcientia Theologica eſt ſcientia Deo propria, ſed per Fidem homini communicata.

§. IV.

§. IV.

Principia Scientiæ moralis.

DVo vtique ſunt Principia ſcientiæ moralis practicæ, *Amor Dei*, & *Amor ſui* ordinatus. Amor Dei, quia homo non ſolùm factus eſt ad imaginem Dei, vt illum cognoſcat, ſed etiam ad ſimilitudinem, vt illum amet, & illi vt vltimo fini inhæreat. Amor ſui ordinatus, vt omnia propter ſe à Deo facta primùm in ſe referat, deinde ſeipſum cum omnibus ſuis vltimatè in Deum. Nec eſt neceſsè ponere tertium principium, ſcilicet amorem reliquarum creaturarum ordinatum: quia in Amore Dei continetur amor creaturarum, quæ propinquiùs accedunt Deo, quàm homo, ſcilicet Angelorum: & in Amore ſui continetur amor creaturarum homini ſimiium, & homine inferiorum.

CONCLVSIO.

Itaque qui Deum, & ſeipſum ordinatè amat, omnem ſcientiam moralem practicam habet, quam antiqui vocauerunt Amorem Sapientiæ, ſeu ſcientiam amoroſam, vel amorem ſcientificum rerum diuinarum, humanarumque.

§. V.

Differentia Scientiæ moralis naturalis, & ſupernaturalis.

EST autem hæc differentia inter ſcientiam moralem naturalem, & ſupernaturalem, quod naturalem vocemus illam, quæ ex parte obiecti non excedit ideas nobis innatas, ſecundum quas videmus Deum tamquam Auctorem naturæ ſupra omnia amandum, & nos ad eius imaginem & ſimilitudinem ab ipſo factos, propter ipſum amandos, vtpotè participantes illam imaginem & ſimilitudinem ad manifeſtationem ſummæ perfectionis eius: moralem verò ſupernaturalem vocemus, quæ ex parte obiecti excedit ideas nobis innatas, & regitur per fidem à Deo nobis infuſam, qua credimus in Deo, & in nobis illa eſſe amanda, quæ natura noſtra, præſertim corrupta, per ſe nec amanda intelligit & amare omninò reſpuit, vt patebit infrà.

§. VI.

§. VI.

De triplici ſtatu hominis, ſcilicet naturæ integræ, corruptæ, & per Chriſtum reparatæ.

De ſtatu naturæ integræ.

PEr ſtatum naturæ integræ intelligo primam hominis conditionem, quam à Deo in ſui creatione accepit, vocaturque Rectitudo hominis; quæ in eo conſiſtebat; vt mens eius eſſet perfectiſſimè Deo vnita, Naturæ diuinę conſors, ſocia, & amica; potentiæ mentis ſcilicet intellectus & voluntas perfectiſſimè eſſent ſubiectæ Intellectui & Voluntati diuinæ, corpus hominis ſecundum naturam ſuam, & omnes potentias ſuas ſibi intrinſecas, nec non omnia corpora exteriora hominis corpori & menti ſine vlla lucta, ſed ad nutum ſubeſſent. Verbo, inter hęc omnia optima foret concordia, pax, tranquillitas; & hic beatitudo naturalis. In hoc ſtatu erat ordinatiſſimus Amor & Dei, & Sui naturalis & ſupernaturalis: vterque libero arbitrio ſubiectus; ita vt in vtroque potuiſſet perſeuerare vſque in finem, ſi voluiſſet, & vtriuſque amoris ordinem peruertere, & inuertere, cùm voluiſſet: ſicut reuera inuertit, & peruertit; atque ſic Deum, ac ſeipſum inordinatè amare incepit.

§. VII.

Digitized by Google

§ VII.

De ſtatu naturæ corruptæ.

PEr ſtatum naturæ corruptæ intelligo illam hominis conditionem, in quam per peccatum deuenit;vocaturque corruptio, inordinatio, & peruerſitas naturæ humanæ, in eo ſita, quòd mens hominis ſit ſeparata à Deo,& à conſortio, ſocietate,nec non amicitia Naturæ diuinæ, potentiæ mentis humanæ,ſcilicet intellectus & voluntas ſint ſubtractæ directioni & motioni Intellectus & Voluntatis diuinæ;ille quidē per ignorantiam obſcuratus,obtenebratus,& excœcatus id eſt diuino lumine priuatus,& etiam in lumine naturali læſus;iſta per malitiam obdurata & indurata:corpus autem hominis repletum omni concupiſcentia carnali, quæ facit eius mentē corporaſcere & bruteſcere;nec non omnia corpora externa bella undique homini parent ac moueant:verbo dicam:inter hæc omnia diſcordia ſumma exiſtat: ita vt iuxta Sanctos Patres homo ſecundū omnia ſit in deteriora mutatus, ſpoliatus nempè gratuitis donis iuſtitiæ originalis,& inſuper vulneratus in naturalibus,in pœnam peccati originalis.

In hoc ſtatu Amor & Dei, & Sui non poteſt non eſſe inordinatus, cùm infimum, quod eſt Corpus,dominetur medio,quod eſt mens huma-

na,& hæc per ſuperbiam velit dominari ſummo quod eſt Deus. Ordo igitur amoris in hoc ſtatu eſt inuerſus,& in naturam corruptam verſus, quæ non magis à ſe poteſt ſuam corruptionem auferre, aut ordinem amoris reſtituere, quam ſeipſam de nouo creare. Superbus enim non generat humilem, non plus quàm ſuperbia humilitatem, aut tenebræ lucem producant. Quia tamen hic ſtatus hominis fuit homini voluntarius, & manet illi voluntarius, quamdiu non eſt per Chriſtum reparatus; ideo omnis amor voluntarius in hoc ſtatu, ſecluſo ſcilicet Saluatore, vt plurimum eſt malus, & peccaminoſus: nec illum excuſat à peccato ignorantia, ſi eſt vincibilis, quia cùm ſit pœna peccati, non tollit ab illo deordinationem, quam auget malitia, & quam non minuit, ſed prouocat & promouet concupiſcentia. Defectus tamen libertatis, qui facit amorem illum eſſe involuntarium, excuſat eum à peccato, & prouenit ex defectu cognitionis intellectus, qui eſt regula voluntatis; & hic defectus ex incapacitate mentis redeundi ad ſeipſam; & hæc incapacitas ex aliquo impedimento corporali tenente mentem affixam corpori, corporeiſque imaginationibus; per quas ita abſtrahitur, & abducitur à ſeipſa, vt ſeipſam miſera captiuitate illis intentam non valeat eripere, aut dirigere, ſicut in pueris ante vſum rationis, in amentibus & ſomniantibus contingit: cuius miſeriæ cauſa ex principijs Phyſicis naturæ corruptæ

per

per pectatum repeti debet.

§. VIII.

De ſtatu naturæ per Chriſtum reparatæ.

PEr ſtatum naturæ per Chriſtum reparatæ, intelligo illam hominis conditionem, quã acquirit per ſidem in Chriſtum mediatorem Dei & hominum, & per baptiſmum Chriſti; vocaturque renaſcentia & renouatio, quæ in eo ſita eſt, vt mens hominis ſecundum naturam ſuam fiat denuò particeps, conſors, ſocia, & amica Naturæ diuinæ; ita vt nihil ſit damnationis ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſù, qui non ſecundùm carnem ambulant, vt ait Apoſtolus. Non tamen virtute iſtius renaſcentiæ & renouationis ſolius depellitur ignorantia ab intellectu, malitia à voluntate, concupiſcentia ex membris; ſed relinquuntur iſtæ pœnæ vſque ad agonem, paulatim minuendæ & depellendæ per exteriorem auditum doctrinæ Chriſti, nec non gratiã eiuſdem interiùs illuminantem, & vngentem vnctione Charitatis, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.

Hic itaque ſtatus medius eſt inter ſtatum naturæ integræ, & inter ſtatum naturæ corruptæ; quia de vtroque participat. De primo quidem participat renouationem ſecundum interiorem hominem, qui ſecuudùm Deum creatus eſt, id

eſt

eſt ſecundùm ipſam animam, ſeu intimam animæ eſſentiam Naturæ diuinæ vnitam. De ſecundo verò participat corruptionem ſecundùm exteriorem hominem, qui complectitur omnes animæ & corporis vires, ſeu potentias; ita tamen vt etiam ſecundum has paulatim ad perfectionem adducatur in ijs, qui Gratia Chriſti Medicinali, & Victorioſa ſanantur & adiuuantur, poſtquam mortis eius beneficium in renouatione ſua per fidem, & baptiſmum ſortiti ſunt. Quod vltimum addo; quia licet Chriſtus pro omnibus hominibus mortuus ſit, non omnes tamen ſortiuntur mortis eius beneficium; quia non omnes fidem Chriſti, aut batptiſmum accipiunt, & hi proindè non ſanantur, nec adiuuantur, vt perficiantur, eò quòd fundamentum perfectionis non habeant. Multi etiam ſunt, qui fidem Chriſti per baptiſmũ acceperunt, qui tamen venientes ad vſum rationis non audiunt Chriſti doctrinam, cui credant vel non accipiunt Spiritum Sanctum, vt credant, & ita, qnibns primum beneficium Dei miſericordia eſt datum, ſecundum eiuſdem Dei iudicio eſt negatum.

Qui autem in hoc ſtatu ſpiritu Dei aguntur, illi ſunt Filij Dei, nec charitas diffuſa in cordibus ipſorum eſt ſubiecta libero illorum arbitrio, ſed prædominans, non ſolùm dans adiutorium, quo perſeuerare poſſint, ſi velint, ſed quo velint, & inuictiſſimè velint, & quo fiat vt reuera perſeuerent vſque in finem, & ſalui ſint; in quo conſiſtit

ſtit differentia Gratiæ huius ſtatus, à Gratia primi ſtatus, quæ tantum dabat poſſe perſeuerare, non autem velle, ſicque erat ſubiecta libero arbitrio. Non poterat tamen homo perſeuerare ſine hac, ſicut nec iam poteſt ſine illa.

Qui verò non aguntur ſpiritu Dei, ſed ſpiritu proprio, licèt renouati fuerint per fidem & baptiſmum Chriſti, non propriè pertinent ad hunc ſtatum, ſed ad ſecundum; quia huius corruptionem ſequuntur, ambulantes ſecundùm carnem per amorem inordinatum: ſicut è contra qui pertinent ad hunc ſtatum, ſuam renouationem ſequuntur, ambulantes ſecundùm ſpiritum per amorem ordinatum.

§. IX.

Concluſio trium moralium, Adamiticæ, Corruptæ, & Chriſtianæ, ex tribus illis ſtatibus.

Moralis adamitica.

EX conditione prima hominis ſequitur, quod ipſe omnia ſciuerit, quæ pertinebant ad eius officium, & ſtatum, vt ſcilicet operaretur, & cuſtodiret Paradiſum voluptatis, in quo poſuerat illum Dominus, poſtquam ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam illum fecerat. Nouerat ergò

ergò homo in illo ſtatu omnes regulas bonorum morum ordinatas ad finem eius naturalem, qui erat Deum ſuper omnes naturas amare, tanquam omnium naturarum Auctorem, omnia in Deum referre tanquam omnium finem. Nouerat proindè hoc magnum mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Nouerat, & hoc ſecundum mandatum ſimile primo: *Diliges proximum tnum ſicut teipſum*. Nouerat totum Decalogum ſecundum omnem ſenſum naturaliter obligatorium, vti, & omnium aliorum Præceptorum ad Decalogum reducibilium intellectum habebat. Nouerat voluntatem Dei ſui in omnibus ad ſe ſpectantibus: nec omnium illorum notitia in illo ſtatu fælici, omnis miſeriæ experti, vlla obliuione poterat obliterari, aut vlla diſtractione, vel inaduertentia inuoluntaria impediri. Nullam in libero arbitrio difficultatem patiebatur, qua retardaretur ab amore Dei, & ſui ordinato; nullam in vllis potentijs infirmitatem patiebatur, vel habebat, qua ſiſteretur ab impletione dictorum Præceptorum: nulla proindè ex parte intellectus probabilitate, nulla ex parte voluntatis praua diſpoſitione, nullis ex parte corporis illecebris ad malè iudicandum, vel eligendum laborabat; nec vlli conſcientiæ dubiæ, vel erroneæ, aut ſcrupuloſæ obnoxius erat. In idea Dei, & in idea ſui omnes ſcientias naturales habebat, & in amore Dei, & in amore ſui ordinato omnes virtutes,

quia

quia iuxta Aug. Virtus eſt ordo amoris, qui in illo ſtatu erat ordinatiſſimus.

Nec hoc ſolùm, ſed nouerat etiam omnes regulas bonorum morum in ordine ad finem ſuũ ſupernaturalem, qui erat Deum amare, vt auctorem gratiæ per fidem eorum, quæ ſuperabant eius captum naturalem, per ſpem eadem obtinendi, per charitatem cum ſumma facilitate, & voluptate ad illa tendendi, currendi, & perueniendi. Captiuabat igitur libentiſſiè ſuum intellectum finitum, vt crederet infinitæ Dei veracitati, ſuam voluntatem, & poteſtatem, vt inniteretur ſoli omnipotentiſſimæ bonitati Dei, ſuum omnem amorem naturalem, vt amore Dei ſupernaturali impleretur: ſed captiuabat quouſq; volebat, habens in manu conſilij ſui vel perſeuerare in ſumma illa fælicitate, vel eam deſerere.

Hæc erat moralis primi ſtatus, quam dixi Adamiticam; quia Adamo, ſeu primo parenti ſoli fuit propria, vtpotè in eius ſolius libero arbitrio poſita, vt illam ſeruando ſe cum tota poſteritate ſaluaret, ſi vellet, vel eam violando, ſe cum tota poſteritate damnaret, ſi vellet.

§. X.

Moralis corrupta.

EX conditione ſecunda hominis ſequitur, quòd ſubtracto Iuſtitiæ originalis dono; homo

homo ſuæ naturæ relictus ſit,ac proindè quòd careat fide,ſpe,& charitate, omnibuſque virtutibus ſupernaturalibus proportionatis, vt Deum cognoſcat,vt in Deo confidat,vt Deum amet,vt ad Deum perueniat tanquam ad finem ſuum ſupernaturalem.& per conſequens,quòd nullum actum vita æterna dignum ſeu meritorium, imò ne quidem ad illum diſpoſitiuum producere poſſit,non magis quàm cœcus elicere viſionem lucis,autDiabolus amare Deum.Sequitur etiam, quòd propter vulnera ignorantiæ,malitiæ,& cõcupiſcentię naturę inflicta,non poſſit cognoſcere totum bonum ſibi connaturale,nec illud amare ſicut oportet,ideoque quod circa regulas bonorum morum ſit multis erroribus obnoxius defectu cognitionis,& eò pluribus,quò per peccata peccatis addita, intellectus eius eſt magis obſcuratus; quòd ex malitia ſua ſit natus plurima peccata perpetrare; quòd in omne genus brutalis ſenſualitatis ſit natus à concupiſcentia irrefrænata impelli; quòd reſtantis ſibi cognitionis nullum facere poſſit ſalutarem vſum,propter malitiam ſuperbiæ, quæ facit, vt ſibi ipſi tanquam vltimo fini inhæreat,& Dei cognitionem, ipſumque Deum,quantum in ſe eſt, ad ſe referat, quod nullum motum peccaminoſum ſalubriter vincere poſſit, quia à quo quis ſuperatus eſt, eius & ſeruus eſt, vt Scriptura dicit; ſuperatus eſt autem homo à peccato, & peccatore Diabolo, & ſic vtriuſque ſeruus eſt;

vndè licet homo corruptus poſſit vitare quodlibet peccatum in particulari, nequit tamen euitare peccatum in generali; quia deſerendo iuſtitiam,in qua conditus eſt per rectitudinem amoris, coniecit ſe in neceſſitatem peccandi moralem per amoris peruerſitatem. Multa proindè ex parte intellectus probabilitate,magna ex parte voluntatis ad malè iudicandum,& eligendum propenſione laborat: innumeris dubijs, erroribus,ſcrupulis eſt obnoxius: prima ſcientiæ ſpeculatiuæ principia, quæ ſunt idea Dei,& idea ſui non niſi confuſiſſimè intuetur; nec proindè diſcernit inter Deum,& creaturam,inter ſe,& brutum, niſi exuere præiudicia infantiæ toto animi conatu ſatagat, & vias ad hoc accommodatas diuina ordinante prouidentia nanciſcatur. Ita ſibi inhæret per amorem ſui,quia illum amorem amori Dei ab initio prætulit,vt per vires naturæ ſuæ ad ſincerum Dei amorem redire nequeat,& ita magis adhuc corruptus eſt in voluntate, qua ſola malus factus eſt, quam in intellectu, cuius occaſione ſuperbijt:& hinc eſt quod Sancti Patres nos doceant maiorem eſſe captiuitatem Babylonicam,quæ ſignificat captiuitatem voluntatis per malitiam, quàm captiuitatem Ægyptiacam, quæ ſignificat captiuitatem intellectus per ignorantiam.Sed quia idem diabolus, qui peccat ab initio,& cuius inuidia & aſtutia inductus eſt homo in peccatum,nititur illum in hoc ſtatu detinere,perſuadet illi primò, quòd ſic à Deo con-

conditus ſit, & conſequenter peccatum originale inuentum eſſe hominum mentitur diabolus & per conſequens quòd homo ſequendo ductum naturæ ſuæ benè agat, & benè viuat, & hæc eſt moralis pagana: ſecundò, quòd ſufficiat ad literam ſeruare Legem Dei ſcriptam, etiam ſolo intuitu prœmij temporalis, & hæc eſt moralis Iudaica. Tertio perſuadet homini ſapientiam terrenam & animalem ſub ſpecie doctrinæ cæleſtis, qua ſcilicet vult conciliare ſuas cupiditates cum Lege Dei, & cùm impediat hominem diligere Legem, conſequenter impedit illum impleri à Lege, contra quam facit ipſum inſidiosè agere, & in ea ſcandalizari, declinans cor eius in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Et ſi ex lucula menti relicta adhuc conſcientia remordeat, perſuadet illi per aliquam probabilitatem omnem ſecuritatem in conſcientia: quo principio munitus reuoluit omnes Caſuiſtas, & conſulit quoſcumque, vt tandem inueniat aliquem, qui ad eius placitum reſpondeat, cui non deerit dicente Domino, *Iuxta iniquitatem interrogantis, ſic iniquitas Prophetæ erit.* De hac Morali agemus ex oppoſito illius, quæ ſequitur.


§. XI.

Moralis Christiana.

EX tertia hominis conditione ſequitur, quòd homo regeneratus, renatus, renouatus in Chriſto per fidem & baptiſmum, recuperauerit virtutes omnes, quæ fundantur in radice charitatis, quæ eſt amor in omni materia virtutum ordinatus; atque ita, quòd ſecundùm interiorem hominem ſit non tantum Dei amicus, quia per eius Spiritum Sanctum toti Trinitati eſt vnitus & aſſociatus: ſed etiam quòd ſit natus Deum cognoſcere, in Deo ponere ſpem ſuam, Deum ex toto corde diligere, & omnia in illum vt finem ſuum ſupernaturalem referre. Sequitur etiam quòd baptizatus iam ratione vtens, & ſeipſum dirigere incipiens, ſi illuſtrante diuini luminis radio diſſipentur tenebræ intellectus eius, ſi oleo diuini amoris cordi eius affuſo emolliatur duritia ipſius; ſi dulcedine & ſuauitate ſuperna concupiſcentiæ eius illecebra vincatur, præeunte per prædicationem doctrina Chriſti; non ſolùm ſit cogniturus totum bonum ſibi connaturale, & naturam ſuam ſuperexcedens, præſertim Deum totius boni Auctorem, & Chriſtum Mediatorem, ſed amaturus ſicut oportet, atque in Euangelio, Sanctorumque Patrum doctrina inuenturus omnes rectè agendæ vitæ regu-

gulas,& creſcentibus prædictis, magis & magis in illis profecturus, peccata ignorantiæ, & malitiæ, ſaltem mortalia, euitaturus, prauamque concupiſcentiam, viriliter reſiſtendo,ſuperaturus & ſeruus Chriſti futurus, quia per eius gratiam ſuperatus; & ſic filius Dei factus, quia ſpiritu Dei actus,per quem *omne datum optimum,& omne donum perfectum de ſurſum exiſtens deſcendit à Patre luminum, apud quem non eſt transſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio : voluntariè enim genuit nos verbo veritatis* (non probabilitatis) *vt ſimus initium aliquod creaturæ eius,* vt ait Iacobus. Et licet homo ſic illuſtratus,emollitus, & tractus efficaci Chriſti gratia, non ita ſimul & ſemel, totaliter illuminetur, quin aliquæ adhuc tenebræ remaneant in eius intellectu, quæ ſpeculaticam probabilitatem cauſare poſſint:nec ita determinetur ad rectè iudicandum, & eligendum, quin reliquiæ malitiæ, & concupiſcentiæ ipſum inclinent, & alliciant in errorem, & peccatum;tamen ex probabilitate ſpeculatiua non deducitur ad practicam,niſi petito à Deo lumine, & (ſi res,& tempus patiuntur)habito recurſu ad alia,quæ Deus inſtituit, ignorantiæ remedia, ipſam veritatem attingat : atque adeò manens ſemper timoratus,nunquam fit ſcrupnloſus, niſi aliquo dictorum remediorum prætermiſſo negligenter, iudicium aut electionem pręcipitauerit, priuſquam attingeret veritatem, qua non agnita, is, qui ſpiritu Dei agitur, ne quidem in

vſu ſpeculationis iudicium proferr, ſed illud ſuſpendit, donec ex Idea Dei, & idea ſui illam clarè & diſtinctè eruerit. Eſt igitur omnis verus Chriſti diſcipulus ita veritati tanquam vnicæ regulæ ſuę amore affixus, vt ab ea non declinet neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram: quia nouit illam conſiſtere in indiuiſibili, id eſt non habere plus vel minus; & ideò reijcit omninò Paganam, Iudaicam, & Moralem Laxiorem, cum falſiſſimo ſuo prætextu, qui Chriſtum euacuat, ſi verum eſt, quòd ipſe Verbum æternum exiſtens, & Caro factum, verbi ſui genuinum ſenſum mundo non dederit, & Lux mundi mundum non illuminauerit; cum in ſacris literis de vera doctrina morum ſufficienter inſtruamur, vt patebit in ſequenti methodo: in qua primò oſtenditur moralis naturalis reſtituta per Chriſtum, & deindè ſupernaturalis.



SPECIMINA MORALIS TVTIORIS.

Doctrina ſana eſt, quæ eſt ſecundùm Euangelium Gloriæ Beati Dei. 1. Tim. 1.

PARS PRIMA.

§. I.

Moralis naturalis reſtituta per Chriſtum.

Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. *Matth.6.*

CVM igitur bonos, vel malos mores nō faciant niſi duo Amores, vnus Dei, & ſui ordinatus; alter Dei, vel ſui inordinatus; reſtat, vt in hac Morali Tutiore de Amore ordinato agamus, & deindè in oppoſita morali laxiore de Amore inordinato.

§. II.

Ordo Amoris ex parte obiecti.

Diliges Dominum Deum tuū ex toto corde tuo. *Matth.22.*

PRO certo tenendum eſt, quòd Amor incipiat à Deo, tanquam Primo omnium rerum Principio, & Vltimo earundem Fine; & quod

Digitized by Google

quòd progreſſum habeat ſecundùm dignitatem naturarum à Deo procedentium : ita vt in ordine naturæ plus diligendi ſint Angeli quàm mentes humanæ,& hæ plus quàm corpora humana; & hæc plus quàm omnia corpora externa, quæ non habent vnionem naturalem cum mentibus. In ordine verò Gratiæ plus diligendi ſunt meliores ; Chriſtus quidem ſuper omnes Dei electos, quia electorum caput; deindè Diua Virgo, quia exaltata eſt ſuper omnes Choros Angelorum ad Cæleſtia Regna, vt canit Eccleſia ; tum reliqui Sancti ordine ſuo ; demum quilibet iuſtus præ quolibet iniuſto : ita vt ſublato hoc dilectionis ordine, ſit inordinata & falſa dilectio.

§. III.

Ordo Amoris ex parte noſtra.

Si diligitis eos, qui vos diligunt : nonnè & Publicani hoc faciunt ? *Matth.* 5.

DEinde pro certo tenendum eſt, quòd ordo amoris ex parte noſtra, ſeu noſtræ obligationis debeat attendi in ordine ad illas perſonas, quibus magis obſtringimur. Et quia à Deo omnia habemus; ideò illum in hoc,& quolibet ordine debemus ante, & ſuper omnes diligere : deindè in ordine naturæ parentes, à quibus vitam accepimus : tum benefactores noſtros, à quibus neceſſaria ad benè eſſe naturæ ac-

accipimus. In ordine verò gratiæ iterùm Chriſtum ſuper omnes debemus diligere, vtpotè Saluatorem noſtrum: deindè Sanctiſſimam eius Matrem, quæ illum edidit mundo; tum Sanctos Angelos Cuſtodes, qui *omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*; *Heb.* 1. tùm Sanctos Apoſtolos, qui fidem Chriſti diſſeminarunt in omnem terram; tum Paſtores, Doctores, ac Directores noſtros; deniquè eos, quorum precibus, aut ſuffragijs in negotio ſalutis adiuuamur. Et quidem eos, qui in ordine gratiæ nobis benefaciunt præferre debemus ijs, qui tantùm nobis benefaciunt in ordine naturæ: quia eſſe gratiæ, quod eſt Diuinum, nobilius eſt eſſe naturæ, quod tantùm eſt humanum.

§. IV.

Ordo Amoris ex parte indigentis.

Diliges proximum tuum ſicut teipſum. *Matth.* 22.

DEniquè pro certo tenendum eſt, quod ordo amoris in ſubueniendo indigenti debeat ſeruari attenta potiſſimùm perſonæ indigentia: & illa ſemper præferenda eſt, ad cuius adiutorium magis nati, & deſtinati ſumus: v.g. perſona conſanguinea extraneæ, patri filius, matri vxor, magis inops minùs inopi, nos ipſi cæteris omnibus, iuxta illud: *Amor incipit à ſeipſo,* nem-

nempè in ordine indigentiæ: quia homo magis tenetur ſibi ipſi ſuccurrere quàm alij. Vndè Deus omninò eſt extra hunc ordinem, quia nullo indiget. De hoc ordine loquitur Scriptura, quandò dicit: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, vt patet ex capite decimo Lucæ; vbi dicitur; illę proximus fuiſſe ei, qui inciderat in latrones, qui fecit miſericordiam: quod Chriſtus approbat. Quòd autem in hoc ordine indigentia maximè ſit attendenda, patet ex illo alio loco, vbi dicitur, quòd bonus paſtor deſerat nonaginta nouem oues, vt centeſimam deperditam requirat; *Ibid.* 15. quia hæc maximè indiget. Subuentio tamen in ordine gratiæ præponi debet ſubuentioni in ordine naturæ; ita vt oporteat etiam effundere proprium ſanguinem ad ſaluandam animam fratris, iuxta illud: *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam*(vitam nempè corporalem) *pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*; 1.*Io.*3. vndè multò magis pro ſalute fratris corporali debemus bona noſtra externa dare, & ſi opus fuerit, profundere iuxta illud Ioannis: *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodò charitas Dei manet in eo? Ibid.* ne quis verò dicat ſe fratrem ſuum, ſeu proximum amare, quando illi ſeu ſpiritaliter, ſeu corporaliter indigenti, quantum poteſt, non ſubuenit, audiat eundem Ioannem

ſub-

ſubiungentem: *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate. Ibid.* Satis verò vnumquemque timentem Deum docebit vnctio, quando, & cui, & qualiter debeat ſuccurrere.

Nota quod quando dixi, Deum omninò extra hunc ordinem eſſe, hoc intelligi ex parte indigentis; quia ex parte ſuccurrentis eſt primus, & generatim in omni ordine primatum tenet in ratione cauſæ primæ efficientis, & cauſæ finalis vltimæ: & ideò omnia in ipſum referri debent, quia omnia ex ipſo ſunt.

§. V.

Ordo iuſtitiæ generalis, ſeu legalis.

Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. *Matt.* 22.

POſtquam in Lege æterna vidimus ordinem diligendi ex parte Bonitatis diuinæ, cuius participata bonitas ordine certo in creaturis relucet; nunc immediatè ſequitur, vt in eadem lege intueamur ordinem diligendi ex parte Iuſtitiæ diuinæ, quæ tribuit cuique naturæ, & perſonæ, & Communitati, quod ipſi conuenit, non ex debito, cùm nullum ſit debitum Dei ad creaturam, ſed ex voluntate, qua cuique ſuum eſſe liberrimè ordinauit, & ex conſequenti omnia illa ei dare decreuit, quæ ſpectant ad bene eſſe ipſius:

ipſius: nobis verò impoſuit obligationem Iuſtitiæ quidem generalis, ſeu legalis ad omnes, cuius debitum numquam euacuatur; particularis verò ad particulares, cuius debito ſatisfit ad æqualitatem. De vtraque iuſtitia iam ex ordine agemus.

§. VI.

De Speciebus Iuſtitiæ legalis.

De Religione.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. *Matth.*4.

PRima iuſtitiæ legalis ſpecies, quæ ſecundùm ordinem Iuſtitiæ diuinæ in nobis reſultat, eſt obligatio recognoſcendi Deum tamquam noſtræ originis auctorem, vocaturque Religio, quæ in conſideratione noſtri nihili, & ſummæ Dei perfectionis producit adorationem, ſeu latriam, qui eſt *cultus ſoli Deo debitus*: in conſideratione diuinorum erga nos beneficiorum, producit in nobis deuotionem: in conſideratione noſtræ continuæ dependentiæ à Deo, producit in nobis Orationem: in conſideratione ſupremi dominij Dei in nos, & noſtræ ſubiectionis, producit Sacrificium: in conſideratione fidelitatis, quam Deo debemus vt ſupremo Domino, producit votum: in conſideratione reue-

uerentiæ, quam Deo debemus, producit iuramentum: in conſideratione reuerenriæ, quam cæteræ creaturæ debent, adiurationem: denique in conſideratione pulchritudinis operum Dei, producit Dei laudem, & gloriam.

E contra deteſtatur quidquid Deo aduerſatur; Idololatriam imprimis, quæ eſt religio, ſeu cultus falſorum Deorum; Superſtitiones omnes cultus incongrui, ſiuè per diuinationes, ſiue per vanas obſeruantias; generatim auerſatur omnem Dei tentationem: cauet Votifragium, ſeu Sacrilegium, quod eſt violatio perſonæ, aut rei Deo dicatæ; periurium, quod eſt iuramentum falſum; blaſphemiam, quod eſt verbum Deo iniurioſum: execratur ſimoniam, quæ diuina prophanis æquat, vel poſtponit.

§. VII.

De Pietate.

Deus dixit: honora Patrem, & Matrem. *Matth.* 15.

Secunda Iuſtitiæ legalis obligatio, quæ reſultat in nobis ſecundùm ordinem diligendi ex parte iuſtitiæ diuinæ eſt pietas erga parentes, quibus ratione vitæ, & educationis ab ijs acceptæ tenemur, non ſolùm debito charitatis, quo etiam iilis tenemur, à quibus nihil accepimus; ſed etiam debito iuſtitiæ irremunerabilis, quia nil vitæ æquale ipſis reddere poſſumus; tene-

nemur, inquam, ad amorem in ſecundo ordine charitatis deſcriptum, & ad ſubuentionem deſcriptam in tertio, non tantùm, quia charitas eſt mutua, ſed quia iuſtitiæ debitum nos vrget, quo non adimpleto pro poſſe noſtro, alterius ſpeciei peccatum exurgit, quod vocatur impietas. Inſuper virtnte pietatis tenemur parentibus externum honorem exhibere, & obedientiam præſtare in ijs, quæ paternam curam reſpiciunt.

Eadem pietatis virtus conformiter Diuinæ iuſtitiæ obligat nos, vt conſanguineos, quia ex ijſdem nobiſcum parentibus procedunt; item affines, quia ad fines ſanguinis noſtri per Matrimonium acceſſerunt, magis amemus, iuuemus, & honoremus, quàm extraneos. Et quia Patria communis quædam omnium mater eſt; idcircò in hoc debito conſanguineis, imò & parentibus in neceſſitate præponi debet: vndè illud: *Dulce eſt pro Patria mori*.

§. VIII.

De Obſeruantia.

Vos vocatis me Magiſter, & Domine: & benè dicitis: ſum etenim. *Ioann*. 13.

TErtia Iuſtitiæ legalis obligatio, quæ reſultat in nobis ſecundum ordinem Iuſtitiæ diuinæ, eſt, ut amorem, honorem, obſequium, obedientiam præſtemus his, qui non quidem parentibus

rentes noſtri naturales ſunt, ſed ex hominibus aſſumpti, vt nobis inſtar parentum præſint, & proſint, ſiue hoc ſit in ordine naturæ, ſiue in ordine gratię: vt ſunt in ordine naturæ Reges, Principes, Magiſtratus, & Domini terreni: in ordine gratiæ, qui habent curam noſtræ ſalutis, vt ante omnes eſt Chriſtus, eiuſque Membra viua, videlicet Sancti, qui in Communione Fidelium præcellentiam habent ad Membra infirma roboranda, & imperfecta perficienda.

§. IX.

De Gratitudine.

Nonnè decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? Non eſt inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic Alienigena. *Luca* 17.

QVarta Iuſtitiæ legalis obligatio, quæ reſultat in nobis, ſecundùm ordinem Iuſtitię diuinæ eſt Gratitudo, qua tenemur benefactoribus gratias agere pro beneficijs acceptis, & quidem, ſi fieri poteſt, beneficium maius, ne videamur illud, quod accepimus reddere: ſed ex grati animi affectu appareat beneficium reddi.

§. X.

§. X.

De Amicitia, & Societate.

Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. *Ioannis* 15.

QVinta Iuſtitiæ legalis obligatio, quæ reſultat in nobis ſecundùm ordinem Iuſtitiæ Diuinæ, eſt Amicitia, quam oportet nos habere, ſicuti decet, ad cætera membra Societatis humanæ, in qua viuimus, benè conuiuentes cum omnibus, quantum in nobis eſt; ad quod de neceſſitate requiruntur duæ aliæ virtutes, nempè veracitas, & liberalitas.

§. XI.

De Veracitate.

Eſtote prudentes ſicut Serpentes, & ſimplices ſicut Columbæ. *Matth.* 16.

SExta igitur Iuſtitiæ legalis obligatio, quæ reſultat in nobis, ſecundùm ordinem Iuſtitiæ Diuinę, eſt veracitas, qua nos ſic exhibemus alijs in dictis, & in factis, quales reuera ſumus. Et licet hæc virtus nobis frequenter permittat, vt veritatem occultemus alijs, quando ſcilicet eius reuelatio non prodeſſet, ſed obeſſet, numquam tamen permittit, vt contraria veritati, aut ſinceri-

ceritati ſigna proferamus, nihilque magis repugnat Societati hominum, quàm fallacitas aut mendacium; quia illis poſitis, nulla fides eſt, quæ tamen debet vnire inter ſe homines.

§. XII.

De Liberalitate.

Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. *Matth.7.*

SEptima quæ in nobis reſultat Iuſtitiæ Legalis obligatio, ſecundùm Ordinem Iuſtitiæ Diuinæ eſt Liberalitas, qua tantum de bonis noſtris ex abundanti affectu tribuimus vnicuique in Societate humana, quantum expedire videtur ad ſeruandam Societatem & Amicitiam, noſtraque fert capacitas. Cùm enim magis ſimus propter totum, vtpotè eius Membra, quàm propter nos, quia *bonũ totius præualet bono partis,* Iuſtitia Dei, quæ nos adunauit, non ſinit vt aliquid poſſibile nobis prætermittamus, quod ad bonum iſtius vnionis conſeruandum requiritur aut conducit.

Quia tamen nemo ad reſtitutionem tenetur ſi Iuſtitiæ Legali defuerit, licet peccet, ei non ſatisfaciendo quantùm in ſe eſt; hinc ſequitur de Iuſtitia Particulari, quæ eſt inter particulares, & quodammodo æquales, ſpectato bono particu-

lari cuiuſque, obligatque ad Reſtitutionem, ſi fuerit violata.

§. XIII.

Ordo Iuſtitiæ particularis.

Niſi abundauerit Iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum. Cælorum. *Matth.* 5.

POſtquam inſuper vidimus in Lege Æterna qualiter ſeruandus ſit ordo diligendi ex parte Iuſtitiæ Diuinæ in Generali, ſeu per reſpectum ad ipſum Deum, Parentes noſtros & quoſcumque Dominos ſeu Superiores; quibus par ſiuè æquale reddere non poſſumus; & per reſpectum ad totam Societatem hominum, cuius ſumus vnum Membrum, quod non eſt niſi in vſum ſui totius; ſequitur vt in eadem Lege Æterna inquiramus, quis ſit Ordo diligendi ſeruandus ex parte Iuſtitiæ Diuinæ in particulari, id eſt, per reſpectum ad particulares homines nobis æquales, in ijs, quæ concernunt ipſam naturam humanam, eiuſque conſeruationem, & honorem: ita vt Iuſtitia Particularis ſit illa, quæ *tribuit cuique quod ſuum eſt ad æqualitatem*, quam Iuſtitia Diuina determinauit ſecundum dictamen Legis Æternæ.

§. XIV.

Digitized by Google

§. XIV.

De tribus bonorum generibus, in quibus Iuſtitia ſeruanda eſt.

In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. *Matth.* 7.

TRia ſunt genera bonorum, quæ Iuſtitia Diuina homini appropriauit, & quæ poſſunt ab illo inuito auferri, nimirum Vita Corporalis, Diuitiæ, & Fama ſeu Honor: vnuſquiſque enim de Lege Naturæ habet ius ad ſuam vitam, habet jus ad diuitias, quæ ſunt bona vitæ neceſſaria, modò illæ diuitiæ de facto ipſi appropriatæ ſint; & habet jus ad ſuam famam, ſeu honorem, vt ſcilicet tamquam vir honeſtus & Societate humana dignus habeatur, donec probetur malus, & illa Societate indignus. Poteſt autem fieri quòd illa bona de facto ſint poſſeſſa, vt eſt vita, quamdiu viuit homo; & poteſt fieri quòd ſint debita: ſi poſſeſſa ſint, dicitur poſſeſſor habere *ius in re*; ſi autem ſint debita, & non poſſeſſa, dicitur habere *ius ad rem*. Quod ſi ab aliquo particulari auferantur poſſeſſa, vel denegentur debita, dicitur violatio Iuſtitiæ Commutatiuæ, quæ verſatur circa commutationes, ſiue commercia particularium hominum: ſi autem bona communia non debitè diſtribuantur ab illo, qui curam Communitatis habet, vel inæ-

qualiter grauentur ſubditi,qui ſunt æquales, vel inæquales æqualiter, dicitur violatio Iuſtitiæ Diſtributiuæ, quæ verſatur circa diſtributiones.

§. XV.

De Iuſtitia circa vitam hominis

Qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue reus erit gehennæ ignis. *Matth.* 5.

VIta hominis ſubeſt ſolius Conditoris diſpoſitioni; quia ſolus ille habet diſponere de re aliqua, qui illius eſt Dominus: Conditor autem ſolus ratione Creationis & Redemptionis per Chriſtum eſt Dominus vitæ humanæ, cuius diſpoſitionem nulli alteri legitur, aut aliunde per traditionem ſcitur tradidiſſe, niſi Poteſtatibus ſublimioribus in caſu criminis capite plectendi: dicit enim Apoſtolus, quòd *non fruſtra gladium portent*: *Rom.* 10. & in antiquo Teſtamento habemus leges expreſſas de plectendis morte reis, vt eſt hæc, *maleficos non patieris viuere Exod.* 23. vnde de fide eſt, poſſe à Magiſtratibus reos morte plecti in caſibus à Iure diuino expreſſis; ſed cum nuſquam aliunde conſtet poſſe hominem occidi, niſi ab illis & niſi forte in quibuſdam particularibus caſibus, in quibus Deus expreſsè licentiam dedit, vti creditur dediſſe

diſſe Sampſoni licentiam occidendi ſeipſum cum omnibus Philiſtæis,& Moyſi licentiam occidendi Ægyptium; è contrario autem habeat Lex decalogica, *non occides*, quiſquis extra caſus à Domino præſcriptos,vel manifeſtè permiſſos, hominem, vel ſe vel alium, & crudelius ſe, quàm alium, occidere præſumit, reus eſt illius Legis, *non occides*. An autem permiſſum ſit à Deo occidere directè inuaſorem vitæ propriæ; quando aliter vita propria ſeruari non poteſt, ſententia Patrum eſt, quòd non, & multorum Modernorum quòd ſic; hoc autem certum eſt, quòd tutiùs ſit ſequi Patres quàm Modernos, & quòd ille,qui permittit ſe occidi potiùs, quàm præueniat inuaſorem occidendo (partim ne mittat ipſum ad infernum, quia eſt in ſtatu peccati mortalis, partim ne infringat Dei Legem, *non occides*,in qua hic & nunc non videt claram exceptionem)certum ſit, inquam, ſi occidatur in tali diſpoſitione, ſit ſaluandus; quia moritur pro fratre ſuo,& pro lege Dei: vbi è contra volens ſeruare propriam vitam corporalem,negligit ſpiritualem proximi, & exponit ſe periculo violandi legem Dei: & ideò non apparet, quomodò immunis à peccato eſſe poſſit. Quodque benè notandum eſt, nullus Chriſtianus eſt, qui ſic occidat, quem conſcientia non torqueat, & ideò confiteatur occiſionem ſuam: & nullus eſt, qui auderet mori ſinè tali confeſſione, ſi ſaltem timoratus eſt. Ex quo colligitur non eſſe euidens

Aug. l. 1 de lib. arb. c. 5, & l. 22. contra Fauſt. c. 74. item Ep. 154. ad Publicolam, Ambr. l. 3. off. c. 4. & l. 10 in Luc. c. de ſaeculo, & pera tòllendis. Baſil. in Moral. Regulã 49. c. 2. & 3.

dens in chriſtianiſmo, quòd liceat ſic occidere. Sicuti nullus Iudex confitebitur, quòd adiudicauerit morti homicidam, nec Tortor, quòd ipſum decapitauerit; quia euidens eſt in Chriſtianiſmo, hoc licere.

Ad occiſionem hominis reducuntur mutilatio, verberatio, & quæcumque violenta, & iniqua tractatio corporis humani ad mortem tendens: ſiuè illa inferantur ab homine, ſiuè à Iudice iniquo.

§. XVI.

De Iuſtitia circa bona fortunæ hominis.

Nolite Theſaurizare vobis theſauros in terris: vbi ærugo, & tinea demolitur: & vbi fures effodiunt, & furantur. *Matth.* 6.

Bona fortunæ, ſeu diuitiæ hominis, ſunt pecunia, & res pecunia æſtimabiles, vt cibus, & potus, veſtes & domus, & quæcumque ſeruiunt ad conſeruationem vitæ humanæ, propter quam conſeruandam Iuſtitia prohibet, ne à legitimo ſuo Domino auferantur, aut illi debita denegentur: & ſi talis ablatio, vel non ſolutio fiat clam Domino, dicetur *furtum*; ſi palam Domino, dicetur *rapina*. Præſcribit etiam iuſtitia, vt ille, qui curam habet diſtributionum, eas faciat ſecundùm proportionem geometricam; id eſt, vt æqualibus det æqualia, & inæqua-

qualibus inæqualia, ſecundùm rationem inæqualitatis; ita ſcilicet, vt illi, qui debet habere centum, det centum; & illi, qui quinquaginta, det quinquaginta.

Præſcribit etiam Iuſtitia, vt in contractibus emptionis, & venditionis, in quibus fit pactio pretij pro merce, & mercis pro pretio, ſeruetur æqualitas arithmetica, id eſt pretium ſit æquiualens merci, & mercx æquiualens pretio, id eſt, vt iuſtum non excedatur. Item præſcribit Iuſtitia, vt ratione mutui ſupra ſortem nihil exigatur; quia talis exactio eſt vſura: quæ tamen non committitur in cenſibus, ſeu redditibus legtimè creatis, modò res aliqua verè exiſtat, cui cenſus nitatur. Ratio diuerſitatis eſt, quia in mutuo totum transfertur in dominium mutuatarij, ſeu accipientis mutuum, cum obligatione reddendi capitale, quod vocatur ſors, & ſic mutuum non fructificat mutuatori, cuius ampliùs non eſt. in cenſibus verò res, ſupra quam fundatur cenſus, fiuctificat illi, qui dat pecuniam ad cenſum; quia res illa, non pecunia, quam dat, eſt ipſi obligata Denique præſcribit Iuſtitia æqualitatem iu Iudicijs ſeruandam, & à Partibus, & à Procuratoribus, & ab Aduocatis, & à Teſtibus, & maximè à Iudice, ac generatim proſcribit omnem fraudem, & dolum, ne vllo modo damnificetur proximus.

§. XVII.

De Iuſtitia circa bonum famæ, & honoris.

Nolite iudicare, vt non iudicemini. *Matth.7.*

MEmbrum, quod non congruit ſuo toti, reſecandum eſt. Cùmque homo ſit membrum Societatis humanæ ab illa reſecandus foret, ſi illi non congrueret. Quemadmodum videmus malefactores, qui turbant Rempublicam, & ideò illi non congruunt, ex ordinatione Legum ſupplicijs affici, atque è medio tolli. Vt autem homo ſit conueniens membrum ſocietatis humanæ, debet ſecundùm rationem viuere: nam ſocietas humana non differt à grege porcorum, aut quorumcumque animalium nisi ratione. Congruit igitur homo ſocietati humanæ, ſi ſecundùm rationem viuit; ac proindè eius fama dependet ex vita rationali, definiturque bona exiſtimatio, quam alij habent de ipſo, quatenùs iudicant ipſum ſecundùm rationem, ſeu prout hominem decet, viuere. Honos verò eſt teſtimonium, quod reddunt tali vitæ præſertim in gradu excellentiæ, aut ſuperioritatis conſtitutæ.

Neque ſatis eſt ad bonum ſocietatis humanæ, quod homo ſit à parte rei cõgruum illius membrum; ſed debet ab alijs membris rationabilibus congruum iudicari: alioquin ſi iudicaretur incon-

congruum, aut etiam ſi de eius congruitate dubitaretur, idem eſſet, ac ſi reuera non congrueret: Societas enim hominum non conſtituitur ab hominibus, prout ſunt corpora (quia ſic adhuc non differret à grege animalium) ſed prout ſunt mentes corporibus vnitæ, & per corpora inuicem communicantes: Mentes autem non poſſunt ſibi aliter vniri, quàm ſecundum iudicia bona, quæ de ſe mutuò formant: nam ſecundùm illa iudicia benè afficiuntur inuicem; & è contra ſecundum ſiniſtra iudicia malè afficiuntur; & vbi ſuſpendunt iudicium, ſuſpendunt etiam affectum, qui eſt vinculum ſocietatis humanæ: idcircò ſententia Theologorum eſt, quod vnuſquiſque tamdiù debet iudicari bonus, quãdiù non probatur malus, vt ſcilicet humana ſocietas maneat, quæ aliàs tolleretur, ſi licéret malè iudicare, aut etiam ſuſpendere ſuum iudicium de probitate proximi, antequam euidentibus ſignis probetur eſſe malus, hoc eſt, ducere vitam a ratione alienam.

Quapropter Iuſtitia particularis præcipit vnicuique, vt bene de proximo ſuo iudicet, ſeu bonam exiſtimationem de illo habeat, quæ eſt bona fama, & ſi in dignitate ſit, vt illum honoret, & honorem illi apud alios conſeruet: vndè peccabit non ſolùm contra charitatem, qua debet diligere proximum, ſicut ſeipſum, & per conſequens de illo iudicare, & loqui, ſicut vult alios de ſe iudicare, & loqui; ſed etiam peccabit

con-

contra Iuſtitiam, quam debet ſicut vnum membrum alteri membro eiuſdem communitatis, eritque temerarius, ſi aliter iudicet, detractor, ſi in occulto proximum apud alium denigret;& ſi hoc faciat ad ſeminandum diſcordias, erit ſuſurro; contumelioſus autem ſi in faciem proximum infamet, aut inhonoret; deriſor ſi defectus proximi quaſi iocando referat.

§. XVIII.

De Iuſtitia circa reſtitutionem, ſiuè de reparando ordine amoris.

Decet nos implere omnem Iuſtitiam. *Matth.* 3.

EX dictis euidenter apparet, quiſnam Amor ſiue charitatis per reſpectum ad Bonitatem diuinam, ſiuè Iuſtitiæ per reſpectum ad Diuinam Iuſtitiam, ſit ordinatus: cumque ordo amoris faciat mores bonos; apparet etiam quis dicendus ſit benè moratus. Et quia contrariorum eadem eſt ſcientia, apparet exaduerſo, quis amor ſit inordinatus, & quis dicendus ſit malè moratus.

Quia verò homo creatus eſt cum amore ordinato, & inordinatio amoris ex peccato eſt, vel potiùs ipſum peccatum eſt, incumbit homini ad ſalutem. violatum ordinem amoris reparare: primò quidem incumbit ei reparare ordinem

nem amoris ex parte obiecti Charitatis; deindè ex parte propriæ obligationis; tùm ex parte indigentiæ proximi: vt videlicet is, qui ſimpliciter alteri præferendus eſt, præferatur; qui in ordine ad nos, etiam in hoc ordine præferatur; qui ex parte indigentiæ, magis indigenti primò ſuccurratur. Secundo incumbit homini reparare ordinem amoris ex parte obiecti Iuſtitię generalis habita ratione debiti per reſpectum ad Iuſtitiam diuinam, ſcilicet multiplicando honorem Deo, Parentibus, & Superioribus debitum; multiplicando gratias benefactoribus debitas, & beneficia beneficijs grati animi ergò cumulando: cum hominibus eiuſdem Societatis, & ſinceriùs, & liberaliùs conuerſando. Tertiò incumbit homini reparare ordinem amoris ex parte obiecti Iuſtitiæ particularis, vnicuique quod ſuum eſt retribuendo, & damna vitæ, bonorum fortunæ, famæ, & honoris quantum in ipſo eſt, reſarciendo.

§. XIX.

De modo reſtitutionis circa bonum vitæ.

Si . . . . frater tuus habet aliquid aduerſum te . . . vade reconciliari fratri tuo. *Matth.* 5.

CVm vita ſemel ablata non poſſit naturaliter reſtitui, clarum eſt, quòd homicida non teneatur ad reſtitutionem vitæ, nec ad aliquid

quid dandum pro vita, quæ eſt inæſtimabilis: tenetur tamen ad reparationem damnorum, ſi quæ emerſerunt alicui tertio (v. g. vxori, & prolibus) qui ius habebat ad operas occiſi; & hoc pro arbitrio boni viri. Tenetur etiam intuitu defuncti facere quod poteſt, v. g. procurare ſepulturam, & exequias, curare fieri ſacrificia, & preces fundere pro refrigerio animæ ipſius. Quod ſi aliquæ expenſæ factæ ſint in medicos, tenetur eas ſoluere. Pro verberatione, aut quacumque alia inurioſa corporis tractatione, tenetur veniam petere, & aliquam, ſi exigatur, humiliationem, aut mulctam rationabilem ſuſtinere. Quòd ſi Iudex iniuſtè aliquem incarcerauerit, non ſeruato iuris ordine, tenetur incarceratum liberum dimittere, & omnia damna indè emergentia reſarcire: ſi hoc fecerit ad inſtantiam accuſatoris, hic ſolus tenetur ad damna, ſeu ad pœnam talionis. Si grauis ſuſpicio, aut publica indicia, vel infamia præceſſerint ad incarcerationem, Iudex non tenetur ad damna reparanda incarcerato, ſed ad eum dimittendum liberum, & abſoluendum, ſi innocentem deprehendat.

§. XX.

§ XX.

De modo reſtitutionis circa bona fortunæ.

Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, dum es in via cum eo: ne fortè tradat te aduerſarius Iudici, & Iudex tradat te Miniſtro: & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exies indè, donec reddas nouiſſimum quadrantem. *Matt.* 5.

BOna fortunæ ſunt reparabilia. vndè ſiue extant in ſeipſis, ſiue in ſimili, aut in æquiualenti tantùm, debent reſtitui iuxta illud Auguſtini: *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*. Hinc Theologi diſtinxerunt duplicem titulum reſtitutionis: vnum ratione rei acceptæ, quæ adhuc exſtat in ſpecie, v.g. equus: alterum ratione iniuſtæ acceptionis, quando res accepta conſumpta eſt, aut damnum illatum ſine alicuius vtilitate, v. g. pecunia conſumpta, villa combuſta: nam in primo caſu res extans debet reſtitui Domino ſuo, apud quemcumque inueniatur: in ſecundo verò caſu debet reſtitui æquiualens, Neque excuſatur ab onere reſtitutionis, qui rem furto ſublatam conſumpſit, nec habet æquiualens, quod reddat, aut qui damnum intulit hìc, & nunc ſibi irreparabile; quia equidem manet grauatus onere reſtituendi, & tenetur allaborare tota vita ſua, vt reſtituat. Hinc manifeſtè ſunt in defe-

ctu

ctu reſtitutionis, qui quando poſſunt reſtituere, non reſtituunt, & continuò peccant ratione iniuſtæ detentionis rei alienæ, vel iniuſtæ damnificationis: item qui laborando poſſunt acquirere, vnde reſtituant, & laborare nolunt: item qui ſcientes ſe eſſe in impoſſibilitate reſtituendi, non deſinunt furari, vel aliter damnum inferre proximo: item qui nolunt diminuere de ſuo ſtatu, vel de ſua menſa, non contenti ſolis neceſſarijs, ſiue ad victum, ſiue ad veſtitum, Quod ſi ille non extet, cui facienda eſt reſtitutio, fieri debet hæredi, vel propinquis eius, qui ipſum repræſentant, ſi tales non ſunt, aut non noſcuntur, debet fieri reſtitutio pauperibus, qui repręſentant Chriſtum, & eius membra, aut ſaltem Eccleſiæ in pias cauſas: & ſi res fuerit Eccleſiæ v. g. Beneficium ſimoniacè acquiſitum; debet Eccleſiæ reſtitui cũ ſuis emolumentis, & pecunia pro Beneficio data eidem Eccleſiæ addicta eſt.

§. XXI.

De modo reſtitutionis circa bonum famæ aut honoris.

In quo judicio iudicaueritis, iudicabimini. *Matth.* 7.

CIrca modum reſtituendi famam iniuſte ablatam, maximam difficultatem inueniunt Theologi propter duas difficultates, quarum

rum prima tenet ſe ex parte modi,quo ſama reſtituetur,altera ex parte reſtituentis:vel enim delictum,de quo quis infamatur,eſt verum,vel non: ſi verum eſt,quis modus reſtituendi famam?cùm infamator non poſſit dicere eſſe falſum, aut ſe eſſe mētitum, quia *non ſunt facienda mala,vt eueniant bona*; *Rom.* 3. ſecundùm Apoſt. ſi delictum falſum eſt, poterit qnidem infamator abſque falſitate, aut mendacio dicere ſe falſum dixiſſe, vel etiam ſe eſſe mentitum, ſi reuerà ſciuerit eſſe falſum,ſed non videtut ad hoc teneri; quia ſeipſum infamaret, & ſic ſe redderet incongruum membrum Societatis humanæ, declarando nimirum ſe eſſe temerarium, vel malitioſum & mendacem, aut ſaltem procliuem ad detrahendum de proximo ſuo; quod videtur eſſe contra propriam charitatem, & iuſtitiam, qua ſibi ipſi quiſque tenetur velut membro Societatis humanæ. Huc vſque obiectio.

Ad ſolutionem harum difficultatum dico, quòd ſi crimen eſt verum, pendet à iudicio viri prudeutis,qualiter abſque falſitate & mendacio fiat efficaciter reſtitutio:nam aliter apud ſimplices, aliter apud aſtutos fieri debet. vt ſit effieax:neque videtur nobis expedire modos imprimere, quia hoc ipſo,quo illi ſunt noti, eo ipſo ſunt ſuſpecti, redduntque reſtitutionem difficiliorem.Si verò crimen eſt falſum, detractor aſſerendo eſſe falſum, & confitendo ſe detraxiſſe, non verè ſe infamat, ſed verè ſe infama-

famauit, detrahendo. E contra reſtituendo famam alienam,etiam ſuam recuperat,quia de detractione pœnitentiam agit, & quos ſcandalizauit detrahendo, ædificat reſtituendo, docetque eos non detrahere,& ſi detraxerint, reparare, vt omnia membra Societatis humanæ (quantum fieri poteſt) maneant honeſta,& pro honeſtis ab omnibus habeantur.

§. XXII.

De ordine inter reſtituentes ſeruando.

Omni cui multum datum eſt,multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum plus petent ab eo. *Lucæ* 12.

IN ordine reſtitutionis duo ſunt conſiderandi,Principalis ſcilicet & ſecundarius. Principalis quidem in obligatione reſtitutionis eſt omnis homo ratione vtens,qui proximo ſuo damnum intulit,vel apud quem res proximi exſtat: qui enim proximum damnificauit, violauit directè hanc legem naturalem,*quod tibi non vis fieri,alteri ne feceris,* quam proindè ſecundum ordinem amoris Iuſtitiæ reparare debet, damnum reſarciendo:qui verò rem alienam apud ſe habet,hanc alteram legem implere tenetur, *omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis,Matth.* 7. reddendo ſcilicet cuique,quod ſuum eſt. Dixi ratione vtens,quia homo

mo ratione non vtens, licet aliquem damnificet, non tenetur reſtituere; eo quod non ſit capax apprehendendi obligationem Iuſtitiæ: tenentur tamen ipſius loco reſtituere illi, qui eius curam habent, ſi bona habeat ad reparandum damnum; & ſi non habeat, damnumque impedire potuerint, ipſi tenentur ex proprijs bonis, quia non impedierunt: alias non tenentur, niſi ex bonis alienis aliquam vtilitatem acceperint.

Secundarius autem in obligatione reſtitutionis eſt omnis homo ratione vtens, qui non poſſidet quidem alienum, nec directè damnum proximo intulit; ſed cauſa damni ab alio illati moraliter cenſetur: quia aliquid fecit quod omittere debebat ex Iuſtitia, vel aliquid facere omiſit, ad quod faciendum ex iuſtitia tenebatur, quo facto vel omiſſo, damnum proximo ſecutum eſt, quod aliàs non fuiſſet ſecutum: vnde cauſa damni ſecundaria eſt duplex, poſitiua, & priuatiua. Poſitiua quidem imperans, conſulens, approbans, laudans, & recipiens: iuxta illum verſum:

Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus.

Priuatiua verò, mutus: id eſt, non inhibens verbo: non obſtans, id eſt, non inhibens facto: non manifeſtans, id eſt, non deferens ad illum, qui impedire poteſt. Supponitur autem, quod hi tres teneantur ex obligatione Iuſtitiæ; quia ſcilicet ex officio tenentur iuſtitiam procurare, & iniuſtitiam impedire: nam qui ex ſola charitate tenen-

tur,ſi omiſerint, non tenentur ad reſtitutionem. Additur, participans, ſed hic debet reduci ad Principalem,quia directè partem damni intulit, vel partem rei accepit. Vndè alter verſiculus:

Participans,mutus,non obſtans, non manifeſtans.

Et quia cauſa poſitiua prior & potior eſt, quàm negatiua;hinc (per ſe loquendo) magis tenentur ad reſtitutionem qui poſitiuè in damnum proximi influxerunt,quam qui priuatiuè tantùm idcircò deficiente Principali (ſub quo comprehende participantem) magis tenentur reſtituere, qui in primo verſu cõtinẽtur, quàm qui in ſecũdo:& magis tenetur ille, qui magis poſitiuè influit, vt imperans,plus quàm conſulens,ſi mãdatũ plus operetur,quam cõſilium; & ſi æqualiter operentur,tenentur æqualiter,quod prudenti iudicio eſt dijudicandum.Interim aliquo reſtituente totum,cæteri liberantur, etiam ipſe Principalis;niſi Secundarius, qui reſtituit totum, habeat ius exigendi partem reſtitutionis à Principali, vel ab alijs ſecundarijs cooperatoribus; quod etiam prudenti iudicio æſtimandum eſt. Dixi, per ſe loquendo,quia Miniſtri Iuſtitiæ, qui ex officio iuſtitiam procurare,& iniuſtitiam impedire tenentur,magis peccant cõtra iuſtitiam tantummodò omittendo illam procurare, aut iniuſtitiam impedire, quam priuati committendo iniuſtitiam:quia ſi illi non omitterent, nec iſti auderent committere, aut ſaltem à committendo deterrerentur. Vnde ſi committentes deficiant in

reſtitutione,debent omittentes illos cogere, & ſi non fecerint, tenentur ipſi damnum ſua negligentia,vel quacumque alia graui culpa illatum reparare.

§. XXIII.

De Virtutibus remouentibus impedimenta Charitatis & Iuſtitiæ.

Confidite, ego vici mundum *Ioannis.* 16.

DEſcripto iam amoris ordine per reſpectũ ad Bonitatem diuinam, quæ eſt Regula Charitatis,& per reſpectum ad Iuſtitiam diuinam,quæ eſt regula omnis æquitatis,ſequitur, vt agamus de virtutibus, quæ remouent impedimenta ordinandi amoris conformiter vtrique Perfectioni diuinæ.

Impedimenta autem iſta ſunt ſenſus proprius ſeu proprium lumen,ad quod regulandum conformiter Legi æternæ,rectè ponitur virtus, quam Theologi vulgò Prudentiam appellant; deindè propria imbecillitas, ſeu infirmitas ad bonum diuinum,ad quam ſuperandam rectè ſtatuitur altera virtus,quam nominant Fortitudinem; denique propria cupiditas, ſeu concupiſcentia, ad quam refrenandam ſeruit tertia virtus, quam appellant Temperantiam.

§. XXIV.

De Prudentia.

Donec tranſeat Cælum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant. *Matth*.5.

ILle verè prudens eſt, qui non ſequitur ſenſum proprium, niſi æterna Lege regulatum. E contra ſolus ille imprudens eſt, qui ſequitur proprium ſenſum contra, vel præter dictamen Legis æternæ. Itaque ad prudentiam acquirendam, & imprudentiam cauendam, oportet diligenter examinare, quid Lex æterna contineat circa ordinem amoris, ſiuè charitatis, ſiuè iuſtitiæ, à nobis ſupra deſcriptum: deindè oportet firmiter in animo ſuo reſoluere, & iſtius reſolutionis in omni ſua vita benè meminiſſe, vt numquam recedatur à dictamine Legis æternæ, quidquid ſenſus proprius, ſeu proprium lumen in contrarium ſuggerat: imprudens enim eſt non ſolùm ille, qui agnitum Legis æternæ dictamen contemnit, vt proprium lumen (quod tenebræ ſunt) ſequatur; ſed etiam ille, qui non ſatagit inquirere, quid reuera ſit in lege æterna, & quid non ſit; ſed contentus eſt viuere ſecundùm id, quod ſibi prima fronte apparet non euidenter diſcrepare à Lege æterna, quamuis non ſit certus, quod reipſa non diſcrepet: talis

enim

enim teſtatur ſe magis negligentem, aut ſaltem magis indifferentem eſſe in ijs, quæ Deum reſpiciunt, quàm in ijs, quæ ſeipſum reſpiciunt; cùm in his non ſit contentus ſola apparentia, vel probabilitate, ſed certus, ac ſecurus eſſe ſemper adnitatur. Propterea dicit Chriſtus in Euangelio: *Filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt*: *Luc.* 16.

Quàm verò difficile ſit à ſenſu proprio recedere, vel illum ſecundùm Legem æternam regulare, ſatis conſtat ex varietate opinionum, quas homines in vſu vitæ ſuæ ſequuntur, & quibus ita tenaciter inhærent, vt plurimas in Eccleſia Dei hæreſes excitarint, & quotidie excitent, nullas excitaturi, ſi omnes ſequerentur dictamen legis æternæ, quod ſemper vnum idemque eſt. At non mirum eſt tantam opinionum varietatem eſſe, tantamque proprij ſenſus peruicaciam, ſeu obſtinationem; quia primum hominis peccatum fuit, ſequi proprium ſenſum contra præſcriptum Legis æternæ, in quo ſita fuit ſuperbia ipſius, quæ eſt initium omnis peccati, omniſque obdurationis, & indurationis fons, ac origo, cauſaque cœcitatis in intellectu, quem voluntas proprij ſenſus tenax ex propoſito auertit à Lege æterna, ne illam intueatur, vt ſic ipſa liberiùs proprium ſenſum ſequatur, nec à veritate agnita retardetur, aut arguatur; fallaxque conſcientiæ cauteriatæ pax turbetur, ad quam retinendam finxit ſibi verſatilem

pro arte ſemper gaudendi probabilitatem,vt nimirum modò hoc, modò contrarium, pro vt liberet, ita liceret amplecti, & viuere ad placitum ſuum, non Domini, contra id, quod Apoſtolus dicit: *Gaudete in Domino ſemper, Phil.4.* non in vobis vmquam, ſed in Domino ſemper.

Eſt igitur Prudentia amor ordinatus, qui regulat proprium ſenſum ſecundùm dictamen Legis æternæ per Chriſtum nobis reuelatæ, & explicatæ. Imprudentia verò eſt amor inordinatus, qui ſequitur proprium ſenſum contra,vel præter dictamen Legis æternæ, non ità attendens Chriſti reuelationem, vel explicationem, quàm adulatorum hominum benignam (vt aiunt) & ſenſui proprio accommodatam interpretationem; de qua videbitur in oppoſita Morali Laxiore.

§. XXV.

De Fortitudine.

Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. *Matth.* 16.

SAnè cùm poſt peccatum omnis cogitatio hominis intenta ſit ad malum omni tempore, magna vi opus eſt, vt difficultas illam reducendi, & reflectendi ad bonum vincatur. Quinimò opus eſt maiori vi ad ſuperandum proprium animum, qui in cogitatione conſiſtit, quàm

quàm ad ſuperandam quamcumque difficultatem, quæ inuenitur in tolerantia quorumcumque malorum exteriorum etiam ipſius mortis: qui enim proprium animum vincere non nouit, reuera toto cælo aberrat, dum putat ſe alia victurum. Cùm enim amans naturalitèr ſuiipſius Dominus ſit, ſi ſuccumbat ſibi ipſi, multò magis ſuccumbet alijs, quæ in ipſius poteſtate non ſunt, & quæ ſunt fortiora ipſo, quamdiu ſeipſum non vincit, ſiuè quamdiu ſeipſum non portat ad bonum, quibuſcumque alijs ipſum à bono auertentibus. Hinc actus martyrij non eſt principalis actus Fortitudinis quatenus eſt exterior toleratio mortis etiam in odium Chriſti inflictę; ſed quatenùs eſt interior proprij animi victoria, qua fit vt amans malit Chriſto, quàm ſibi ipſi placere, & ideò mortem corporalem propter Chriſtum perferre. Itaque virtus Fortitudinis in eo ſolo conſiſtit, vt mens ſibi vim inferat ad hoc, vt debitum amoris ordinem, & in materia charitatis, & in materia Iuſtitiæ conſeruet, aut violatum reparet. Quàm verò difficile eſt, vt amans ſibi ipſi amore inhærens vſque ad contemptum Dei, auellatur à ſeipſo, & Deo inhæreat per amorem vſque ad contemptum ſui, vſque ad perpetiendum quælibet mala pœnæ, vt Iuſtitiæ diuinæ ſatisfaciat, & Deum merè propter Deum amet, ſine vllo reſpectu ad ſeipſum, niſi vt ſeipſum in Deum referat! quàm difficile, vt proximum ſuum diligat ſicut ſeipſum, ſerua-

to amoris ordine, ſiue charitatis, ſiue iuſtitiæ; & cum hunc violauerit, quàm difficile, vt adducatur ad illum ordinem, ſicut oportet, reparandum! Idque propter innatam ſibi ipſi ex peccato originali ſuperbiam, aliaſque cupiditates in animo eius dominantes, violati ordinis cauſas.

Hanc difficultatem non ſuperabit amans niſi plus amet illum ordinem, eiuſque reparationem, quàm ſeipſum: non amabit autem plus, niſi pluris æſtimet; non æſtimabit pluris, niſi conſideret Deum, illius ordinis auctorem, ſeque à Deo creatum ad ſeruandum illum ordinem; numquam amabit chriſtianè, niſi credat Chriſtum pro illo ordine reparando mortuum, & niſi adiuuetur auxilio gratiæ Chriſti ſanantis, & vincentis omnem noſtram infirmitatem.

§. XXVI.

De Temperantia.

Qui amat animam ſuam, perdet eam. *Ioann.* 12.

VIcta per Fortitudinem opinione propria, ſeu propria cogitatione ad malum intendente, non erit homini Chriſtiano difficile cohibere iram, quatenus charitati, aut iuſtitiæ aduerſatur, & generatim cohibere omnes prauas inclinationes ex ſuperbia, quæ conſiſtit in obſtinatione animi, conſequentes: ſed magna homini

mini etiam Chriſtiano reſtabit ſemper difficultas refrenandi concupiſcentiam oculorum, quatenus trahit ad amorem bonorum huius mundi ſiue ad auaritiam ſub prætextu neceſſitatis huius vitæ; & adhuc maior erit difficultas refrænandi concupiſcentiam carnis, quatenus inclinat ad voluptatem, propter quam (non tamen inordinatam, ſicut iam eſt) homo creatus eſt, & in Paradiſo poſitus: denique maxima erit difficultas ita ſe gerendi in ſocietate hominum, vt proximus non offendatur noſtra conuerſatione, ſed ædificetur per noſtram modeſtiam, quam commendat Apoſtolus, dicens: *Gaudete in Domino ſemper: iterum dico gaudete, modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus: Dominus enim prope eſt. Philipp.* 4. Itaque ſpecies Temperantiæ, quæ eſt virtus, qua homo ſe cōtinet intra limites amoris ordinati, aſſignari poſſunt hoc ordine: Humilitas, Manſuetudo, & Clementia: Sobrietas, & Caſtitas: Modeſtia in exterioribus motibus corporis, & Modeſtia in exteriori apparatu.

§. XXVII.

De Humilitate.

Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in Regnum Cælorum. *Matth.* 18.

PRimam Temperantiæ ſpeciem pono Humilitatem, quia qui vult ſe cohibere & contine-

tinere intra limites amoris ordinati, debet ante omnia ſe cohibere ne extollatur animo ſupra id, quod eſt, vel quod eſſe debet, & vt maneat id, quod eſſe debet (ſic enim amor ſui eſt ordinatus) & in hoc conſiſtit humilitas, cuius oppoſitum vitium eſt *Superbia initium omnis peccati, Eccl.*10. quia tamdiù manet amor Dei, & proximi ordinatus, quamdiù amor ſui non eſt inordinatus: qui enim amat ſe ſicut debet, amat Deum ſuper omnia, tamquam ſuæ originis auctorem, & amat proximum ſimiliter ſibi, quia ſocium ſuum ſibi ſimilem: vndè inordinatio in amore Dei,& in amore proximi non contingit, niſi ex amore ſui inordinato, quo quis amat ſe plus quam debet contra Deum, vel proximum.

§. XXVIII.

De Manſuetudine.

Diſcite à me, quia mitis ſum. *Matth.* 11.

SEcundam Temperantiæ ſpeciem pono Manſuetudinem: quia dum aliquis amorem proprium refrænare nouit, facilè ſe ſubmittit aduerſis, quæ ipſi, ſeu à Deo, ſeu à proximo, ſeu à quacumque creatura proueniunt; & ſic facilè ſe cohibet, ne in impatientiam, aut iram erumpat: in quo conſiſtit Manſuetudo.

§. XXIX.

§. XXIX.

De Clementia.

Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. *Luca.* 7.

TErtiam Temperantiæ ſpeciem pono Clementiam: quia qui nouit cohibere iram, ne noceat, etiam nouit cohibere eandem, ne immoderatè ea vtatur ad iuſtam punitionem, quod fit per Clementiam.

§. XXX.

De Sobrietate.

Nolite ſoliciti eſſe dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur. *Matth.*6.

QVartam Temperantiæ ſpeciem pono Sobrietatem, quæ eſt duplex: vna, quæ cohibet auaritiam: altera, quæ cohibet gulam. Poſtquam enim homo ipſas intimas animi paſſiones cohibuit, ſatagere debet, vt etiam cohibeat exteriores, quarum prima conſiſtit in appetitu bonorum huius mundi, & vocatur auaritia, ſeu concupiſcentia oculorum, quæ eſt appetitus inordinatus diuitiarum contra charitatem, vel contra iuſtitiam, ſeu contra ordinem amoris, de quo ſupra. Altera conſiſtit in appetitu inordi-

dinato eſculentorum aut poculentorum,vocaturque gula, quæ eſt peccatum mortale, dum excedit vſque ad occiſionem animæ per priuationem vſus rationis,vel vſque ad occiſionem corporis per nimiam crapulam, vel vſque ad contemptum alicuius Præcepti Diuini vel Eccleſiaſtici; v. g. ieiunij.

§. XXXI.

De Caſtitate.

Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter Regnum Cælorum. Qui poteſt capere capiat. *Matth.* 19.

QVIntam Temperantiæ ſpeciem pono Caſtitatem, qua cohibetur concupiſcentia carnis ne ſe effundat extra Matrimonium, & vt intra limites eiuſdem moderata ſit, nec nimis ardens: ideò eſt Caſtitas virginalis, quandò concupiſcentia ſe numquam effudit:eſt Caſtitas vidualis, quando concupiſcentia ſe quidem effudit in coniugio,ſed iam illo ſoluto, non amplius ſeſe effundit:deniquè eſt Caſtitas coniugalis,quando concupiſcentia moderatè ſe effundit in coniugio,id eſt, in quantùm ſufficit ad finem generandæ prolis,aut debiti coiugalis reddēdi, non vero ſatiandæ cupiditatis: vbi enim homo cohibuit ſuos oculos,ne immoderatè mundum amet,& ſuum guſtum,ne immoderatè ſuum corpus

pus nutriat, debet etiam cohibere ſe ne abutatur eo, quod ad debitam generationem prolis illi à naturâ datum eſt, vt ſeipſum delectet. Hinc vitium Caſtitati oppoſitum vocatur luxuria à luxuriando, ſeu nimium ſe effundendo per incontinentiam, cuius ſunt duæ ſpecies principales, ſcilicet vitium ſecundùm naturam, & vitium contra naturam: & quidem illud, quod eſt ſecundùm naturam, id eſt, ſecundùm naturalem ordinem generationis, diuiditur in fornicationem ſimplicem, ſtuprum, adulterium, inceſtum, ſacrilegium, & raptum: illud autem quod eſt contra naturam, ſeu contra naturalem ordinem generationis, diuiditur in pollutionem, ſodomiam & beſtialitatem. Reducuntur autem ad prædicta vitia aſpectus impudici, colloquia, & tactus, animo venereo prolata atque facta; item quæcumque praua deſideria ad hæc inclinantia, iuxta illud Iacobi: *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus* (hinc tentatio; quæ non eſt peccatum) *deindè concupiſcentia cum cõceperit parit peccatum*: (nempè conſenſus & praui deſiderij (*peccatum verò cum conſumatum fuerit generat mortem, Iacob.* 1. ſcilicet æternam; quia peccatum carnale conſummatum ratione vehementis illecebræ, quam expertus eſt conſummans, moraliter certò trahit ad aliud cõſummandum. & ſic deinceps abſque vlla ſaturitate, & ideò eſt ferè irremediabile; ac proindè dicitur generare mortem, non qua temporaliter aliquis ſit in pec-

peccato mortali, & reſurgat ad vitam ſpiritalem, ſed qua maneat toto tempore vitæ ſuæ in peccato mortali, aut pro modico tempore extra, & breui relabatur, ſicque ruat in mortem æternã.

Vt verò ſciatur grauitas ſingulorum peccatorum carnalium, ſingula ſunt definienda, & ſingulorum natura perpendenda: ad quod faciendum, incipiemus ab ijs, quæ ſunt ſecundum naturam; quia hæc ſunt leuiora alijs, & procedemus ad ea, quæ ſunt contra naturam, quia cæteris grauiora; deindè videbimus quandonam in coniugio poſſit committi peccatum mortale, aut veniale.

§. XXXI.

De differentia & grauitate vitiorum carnalium.

De Vitijs carnalibus ſecundùm naturam.

Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. *Matth.* 5.

ILla vitia carnalia dicuntur ſecundùm naturam, quæ fiunt ſecundùm ordinem naturalem generationis: vndè non dicuntur eſſe ſecundùm naturam rationalem, quia omne vitium repugnat naturæ rationali; ſed dicuntur eſſe ſecundùm naturam animalem, qualis etiam in brutis inuenitur. Itaque fornicatio ſimplex tunc eſt, quando ſolutus cum ſoluta fit vna caro per

car-

carnalem copulam in vaſe naturali conſummatam,nihil contribuendo ad impediendum generationis finem ſcilicet prolem. Vndè in hoc peccato tantùm eſt hæc ſpecialis malitia,quòd concupiſcentia ſe exerat extra limites coniugij,quod inſtitutum eſt ad debitam prolis educationem, quæ communiter extra coniugium non curatur.

Stuprum eſt defloratio virginis ſub cura parentum adhuc exiſtentis, ſeruatis ijs,quæ de ſimplici fornicatione diximus. Vnde hoc peccatum vltra malitiam ſimplicis fornicationis, continet alias duas:vna eſt, quod fiat iniuria parentibus virginis, quibus incumbit virginitatem eius ad honeſtum coniugium conſeruare: altera, quod virgo deflorata ponatur jn via meretricandi.

Adulterium eſt acceſſus ad alienum thorum ſeruatis ſupradictis: poteſtque fieri ex vtraque parte, ſi adulteri ſint ambo coniugati,vel ex vna parte tantum, ſi tantum vnus ſit coniugatus, & alter ſolutus; eſtque grauius adulterium ex parte mulieris, quàm ex parte viri propter incertitudinem prolis:vnde adulterium grauius eſt peccatum ſtupro; quia iniuria, quæ fit parentibus virginis, aut etiam virgini, diminuitur per ipſius virginis conſenſum, ſed iniuria, quæ fit marito adulteræ, aut vxori adulteri, augetur ex violatione fidei coniugalis, cui coniuges renuntiare non poſſunt; quia, quod Deus coninnxit, homo non ſeparet, vt Textus ait]. Accedit alia grauitas cx parte adulteræ incertitudo prolis:

In-

Inceſtus eſt concubitus carnalis cum conſanguinea ſeruatis ijs, quæ de fornicatione ſimplici diximus. Eſt vero malitia inceſtus maior, quàm adulterij; quia fit iniuria non perſonæ ſolum, quæ per contractum ciuilem mediante copula carnali facta ſit vna caro cum inceſtuoſo, ſed quæ naturaliter cum ipſo eſt vna caro, & vnus ſanguis, vtpotè per deſcenſum vnius ab altero, vel vtriuſque ab eodem propinquo ſtipite per viam generationis. Coniunctio autem naturalis eſt arctior, quàm coniunctio aliundè contracta, & ideò nobilior, & excellentior, cui proindè maior fit iniuria dum violatur, aut dehonoratur: hinc in antiquo Teſtamento dicitur, non reuelabis turpitudinem talis vel talis perſonæ tibi conſanguineæ.

Sacrilegiũ eſt cõcubitus cũ perſona Deo ſacra ſeruatis ijs, quæ de fornicatione ſimplici diximus. Aggrauaturhoc peccatũ ex eo, quod iniuria fiat ipſi Deo, cuius perſona profanatur, & violatur. Poteſt eſſe ex parte vtriuſq; vel vnius tantũ.

Raptus eſt copula carnalis violentè extorta vſque ad conſummationem actus, vti in ſimplici fornicatione diximus. Quod addo, & addidi vbique vt ſignificarem hæc omnia peccata eſſe ſecundùm naturam. Aggrauatur raptus ſuper alias ſpecies ex hoc, quòd eſt contra libertatem hominis naturaliter ipſi datam ad diſpoſitionem proprij corporis, & in qualibet alia ſpecie poteſt contingere.

§. XXXIII.

De Vitijs contra naturam.

Qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius: *Ioannis* 3.

ILla vitia dicuntur eſſe contra naturam, quæ ſunt contra naturalem ordinem generationis: ordo autem naturalis generationis requirit duas perſonas diuerſi ſexus, & eiuſdem ſpeciei, ad copulam aptas per vaſa à natura ad hoc inſtituta ſecundùm modum ab eadem natura inſtitutum. vndè erit primum peccatum contra naturam, ſi concupiſcentia carnalis decidat ſemen abſque coitu, vel abſque coitu conſummato, vel conſummando coitum, ſed cum intentione ſemen eijciendi, aut quacumque alia ratione conceptionem impediendi; nam in omnibus his caſibus non eſt niſi pollutio ſeu mollities, & idem eſt ac ſi vna tantùm perſona ſe pollueret, cum ſemen fruſtretur ſuo effectu. Erit ſecundum peccatum contra naturam, ſi concupiſcentia ſe exerat vſque ad coitum maſculi cum maſculo, aut femellæ cum femella, aut maſculi cum femella in vaſe indebito, vocaturque hoc peccatum ſodomia à Sodomitis, qui illud committebant, deſcribiturque ab Apoſtolo tamquam execrabilis & infanda abominatio. *Rom.* 1. Deniquè erit tertium peccatum contra naturam, ſi concupi-

ſcentia ſe exerat vſque ad coitum cum bruto, & vocatur beſtialitas.

Eſt autem pollutio grauius peccatum ex natura ſua, quam cætera peccata ſecundùm naturam; quia per pollutionem deſtruitur principium generationis, nempè ſemen humanum, & per conſequens, quantum eſt ex vi iſtius actus natura humana è medio tollitur, quia præuenitur nè concipiatur: vnde cum natura ſit fundamentum cæterorum, peccata ipſam deſtruentia debent eſſe grauiora jis, quæ tantum tollunt particularem aliquem ordinem naturæ debitum, vel ſuperadditum. Sodomia autem includit pollutionem, & inſuper dehonorationem proprij ſexus: beſtialitas verò vlteriùs pergit, quia includit dehonorationem ſpeciei propriæ, & quantum in ſe eſt, transformat hominem in beſtiam. Quandoque etiam concupiſcentia ſeruat quidem viam generationis, ſed non ſeruat modum in coëundo decentem, & hæc eſt malitia contra naturam minima.

Digitized by Google

§. XXXIV.

De modis quibus concupiſcentia excedit in coniugatis.

Dicunt ei diſcipuli eius:Si ita eſt cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. *Matth.* 19.

CErtum eſt quòd coniuges ſpontè effundentes ſemen extra vas naturale, peccent peccato pollutionis tantò grauiori, quantò coniugium magis requirit commixtionem ſeminum in vaſe muliebri ad generationem prolis:grauius enim peccatum eſt corrumpere principium generationis in ſtatu deſtinato ad generationem, quam extra illum ſtatum; & ſic grauius peccant coniuges ſeſe polluentes, quàm cælibes.Sunt autem varij modi iſtius nequitiæ, nempè dum coniuges laſciuè ſe tangendo extra coitum ſe excitant ad pollutionem. Secundò, ſi vir in coitu ſe retrahat,& mulier auertat ſe ne ſemen recipiat,& prolem concipiat:Tertiò ſi mulier ſuſceptum ſemen viri reijciat:deinde ſi retineat quidem, ſed abſolutè intendat excludere prolem: erit autem peccatum veniale,ſi non intendant quidem coniuges prolem excludere, magis tamen intendant voluptatem. Præterea eſt valdè graue peccatum, & ratione nimij ardoris facilè eſt mortale,ſi nul-

la tempora in concubitu obſeruent, ne quidem tempus menſtruorum, aut extremæ grauedinis mulieris,quo nocere proli defacili poſſunt, eam imperfectam generando, vel occidendo,& aborſum procurando. Deniquè adulter eſt in proprio coniugio ille coniugum qui ſic vtitur coniuge ſua quaſi aliena, non retinens ſuum affectum intra limites coniugij. Omitto alias turpitudines contra naturam, aut naturalem modum, quæ tam bene contingere poſſunt in coniugio, quam extra, dum affectus coniugum eſt inordinatus.

§. XXXV.

De modeſtia in exterioribus corporis motibus.

Væ homini illi, per quem ſcandalum venit. *Matth.* 18.

CVm homo in ſocietate humana viuere debeat, non vt totum, ſed vt pars, & ea, quæ diximus de Prudentia, Fortitudine, & Temperantia, eò vergant vt pars congruat ſuo toti; hinc modeſtia moderamen ſuum, & Prudentiæ, & Fortitudini, & Temperantiæ adiungit in exterioribus motibus corporis, vt vnuſquiſque non plus in illis indulgeat proprio ſenſui, propriæ infirmitati, propriæ concupiſcentiæ, quam requirit humana Societas, vt euitetur eiuſdem & Dei offen-

ſenſa: Ad quod requiritur, vt homo ita in verbis & geſtibus circumſpectus ſit, ita in tolerando fortis, ita in agendo temperans, vt nullus indè ſcandalizetur, & Deus glorificetur. Hæc autem Modeſtię virtus dependet ex virtutibus ſupra nominatis; quia qualiter mens interius diſpoſita eſt, taliter in corpore ſe exhibet.

§. XXXVI.

De modeſtia in exteriori apparatu.

Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. *Matth.* 11.

SImiliter in exteriori & veſtium, & domorum, & conuiuiorum, & curruum, &c. apparatu, talis apparet homo, qualis in mente eſt: ita vt imago mentis ſit omne illud, quod homo exterius gerit.

Quia tamen homo exterior interiorem diſtrahit, & non ſinit inuigilare paſſionibus animo aut corpori intimis, vt ſemper eas moderetur, ſicut oportet, ne humana ſocietas offendatur; ideò dixi in principio huius Tractatus de Temperantiæ virtute, quòd maxima foret difficultas ita ſe gerendi in ſocietate humana, vt proximus non offendatur, ſed ędificetur per noſtram modeſtiam. Vt autem ædificetur, opus erit alta mente repoſitum habere, & continuo recordari, vt nihil

vmquam exteriùs agatur, quod dictis de Charitate,Iuſtitia, Prudentia, Fortitudine & Temperantia aduerſetur: hanc enim vigilantiam vltra debitum præfatarum virtutum requirit modeſtia.

§. XXXVII.

De obligatione generali omnium hominum ad prædicta obſeruanda.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.... Qui non diligit me,ſermones meos non ſeruat. *Ioannis.* 14.

QVandoquidem in prædictis nihil dictum ſit,quod naturæ rationali non ſit eſſentiale,manifeſtum eſt,quòd omnes homines ratione vtentes ad illa teneantur. Quid enim eſſentialius naturæ rationali,quàm amare bonum,ſecundum quod dignitas boni poſtulat; ita vt dignius bonum plus ametur,quàm minus dignum,& talis ſit ordo amoris,qualis eſt ordo naturarum? vt alibi loquitur Auguſtinus. Quid eſſentialius naturę rationali,quam recognoſcere ſuam dependentiam, & conſequenter plus amare eos,à quibus magis dependet, quam eos, à quibus minùs, vel nullo modo dependet; amore ſcilicet reſpectus & recognitionis? quid eſſentialius naturæ rationali iam miſeræ, quam amare (ſubueniendi amore) magis eos,qui magis indigent, & eos minùs, qui minùs; præferendo ſemper in paritate illos qui-

bus

bus magis tenemur, vel quia ad illos iuuandos deſtinati ſumus, vel quia titulo dependentiæ, aut beneficij ab illis accepti, obligamur officium, vel beneficium reddere? quid magis eſſentiale naturæ rationali, quàm reddere cuique quod ſuum eſt, cui honorem, honorem, cui tributum, tributum, cui aſinum, aſinum, quàm nulli nocere in vllo prędictorum, quàm reſtituere pro nocumento illato? quid eſſentialius naturæ rationali, quàm ſubijcere proprium ſenſum Legi æternæ, quàm ſibi vim inferre ad ſeruandam Charitatem & Iuſtitiam: refrænare proprias paſſiones, & intra limites rationis, ac amoris ordinati eas continere?

Hucuſque Moralis naturalis Tutior, cui adiungendum foret de obligatione cuiuslibet hominis in particulari, ſcilicet Papæ, Epiſcopi, Paſtoris, Religioſi, Regis, Nobilis, Iudicis, Magiſtratus, Mercatoris, Coniugati, Viduæ, Cælibis, Filij familias, & Serui: ſed quia non ſatisfacit homo ſuæ obligationi, ſequendo ſolam rationem; ſed inſuper requiritur, vt maximè ſatisfaciat ſequendo fidem; ideo hunc tractatum poſtponemus tractatui de Morali Tutiore ſupernaturali, quæ ſequitur in hunc modum.

PARS SECVNDA.

§. I.

Moralis ſupernaturalis per Chriſtum reſtituta.

Multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modo. *Ioann.* 16.

QVia Chriſtus reparando naturam rationalem ſimul largitus eſt ei & gratiam, qua pertingere poſſet ad eã, quæ continentur in natura infinitã: cùmque in Morali naturali tractauerimus principia naturæ reparatæ, reliquum eſt, vt in hac morali ſupernaturali tractemus principia eiuſdem naturæ per gratiam Chriſti ſupra ſuas Ideas, & vires eleuatæ.

Primò itaque nobis agendum erit de Chriſto. Secundò de Gratia Chriſti: vbi quærendum erit quid ſit Gratia: quid ſit Gratia Adæ: quid ſit Gratia Chriſti: quæ differentia vtriuſque. Tertiò agendum erit de vaſis Gratiæ Chriſti, ſiuè de ſeptem Sacramentis Eccleſiæ, quæ ex Chriſti latere fluxerunt. Quartò agendum erit de effectibus Gratiæ, ſcilicet de fide, ſpe, & charitate: eritque oſtendendum, quod in ordine generationis, ſeu acquiſitionis, fides præcedat ſpem, & vtraque præcedat charitatem; ſed

quòd

quòd in ordine perfectionis, & vitæ moralis, prima ſitCharitas, ſecunda Spes, vltima Fides. Vbi tractandum erit de praxi Spei in tolerantia malorum conformiter Chriſto, & de profectu virtutum: de Fide per dilectionem operante, & Spe nixa, eiuſque differentia à fide mortua. Quintò tractandum erit de obligatione omnia referendi in Deum, & de neceſſitate orationis ad perſeuerandum vſque in finem in virtutibus Chriſtianis. Sextò tractandum erit de ſingulis hominum ſtatibus, & obligatione particulari ſingulorum ad chriſtianè viuendum.

§. II.

De Chriſto.

Ego ſum Via, Veritas, & Vita: nemo venit ad Patrem, niſi per me: *Ioann.* 14.

IN ſtatu naturæ lapſæ homo non portat ampliùs imaginem, aut ſimilitudinem Verbi Aeterni, prout in Patre eſt, ſed prout in noſtra natura humana exiſtit, ſeu prout eſt verbum caro factum; nec ſimpliciter, prout in natura noſtra quocumque modo exiſtit, ſed prout habitauit in nobis paſſibilis, & mortalis; hinc Paulus dicit: *Prædicamus Chriſtum crucifixum.* Item: *Non iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum:* 1. *Cor.* 1. & 2. non enim Verbum æternum Saluator eſt, hoc

hoc eſt IESVS, nec Mediator noſter in propria natura, ſed in natura noſtra propriæ naturæ vnita, idque mediante ſua Paſſione, cui debemus configurari, ſi volumus ei configurari in gloria, in qua nunc eſt, & ad quam aſpiramus.

Sic igitur obiectum Moralis Tutioris in praxi eſt Verbum Dei Incarnatum, id eſt, Chriſtus paſſus pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius, ſicut Sanctus Apoſtolus Petrus loquitur: ideoque conſtitutus eſt Saluator, Mediator, & Caput omnium, qui in ipſum credunt; credent autem & omnes, quos vocabit efficaciter Deus ad fidem, & maximè quotquot gratuita Dei miſericordia intuitu mortis eius fuerint à maſſa damnationis diſcreti: nam quemadmodum Pater gratis prædeſtinauit Filium ſuum, vt eſſet homo, ita gratis prædeſtinauit eumdem, vt eſſet Redemptor, & Liberator hominum, & quidem quorumdam præ alijs efficaciter, applicando iſtis pretium ſuæ redemptionis, & non his, vt ſic eſſet Primogenitus potiùs in iſtis fratribus, quàm in his: quod ſi gratis prædeſtinauit; ergò per gratiam, cuius plenitudinem in Chriſto tamquam Capite omnium principaliter Electorum poſuit, & ab ipſo in illos ſecundùm menſuram donationis eius voluit deriuari, & defluere.

Oportet ergò Chriſtum conſiderare per modum fontis, & ſcaturiginis omnium gratiarum; ipſam verò gratiam per modum aquæ defluẽtis in

in riuos varios per diuerſos canales; hos autem canales eſſe Sacramenta; Electos verò eſſe digniora receptacula. Vnde poſtquam iam breuiter de Chriſto diximus, dicamus de ipſius gratia.

§. III.

De Gratia in communi.

In principio erat Verbum, &c In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet. *Ioann.* 1.

NOmen gratiæ generaliter ſignificat quodlibet donum naturæ indebitum, quod dicitur gratum faciens, ſi tendat ad noſtram ſanctificationem; dicitur gratia gratis data, ſi tendat ad vtilitatem aliorum. Duplex eſt autem donum gratiæ iuxta duplicem rationem indebiti; ſi enim ſit indebitum merè negatiuè, quia ſcilicet Deus illud dare non tenetur, licet congruat eius Omnipotentiſſimæ Sapientiæ, & Bonitati, vt illud det, erit Gratia Adami: ſi verò ſit indebitum priuatiuè, quia homo poſitiuè ſeſe illo indignum reddidit, erit Gratia Chriſti.

§. IV.

§. IV.

De Gratia Adami.

Vita erat lux hominum. *Ioannis* 1.

GRatia hoc ipſo, quo Gratia eſt, illi cui fit, indebita eſt, & abſolutè loquendo ſine ea relinqui poteſt, quia illa habita poteſt deſtitui, ſicuti per peccatum prima Gratia deſtitutus eſt Adam. Tamen nihil obſtat, quo minus Gratia debita ſit ex parte Sapientiæ, Bonitatis, & Iuſtitiæ Dei talem condentis naturam, quæ ſi per gratiam non eleuaretur ſupra ſe, imperfecta, & miſera eſſet; quia ad ſuum proprium finem pertingere nequiret. Et ſic gratia fuit à Deo debita Adamo: nam condendo eius naturam, dedit ei intellectum, & poteſtatem, valdè finita; appetitum autem, ſeu voluntatem quodammodò infinitam. Vndè poterat quidem Adam ſine gratia appetere, vt eſſet ſicut Deus ſciens bonũ, & malum (vti reuera appetijt) ſed non poterat ſolo intellectu finito ad talem ſcientiam peruenire; multò minus poterat per poteſtatem finitam ſibi illam dare. Poterat conſequenter appetere vniri perfectioni Dei, ſicut de facto vniũtur Sancti in Cælo, Diuinam eſſentiam videndo; & tamen nec intellectu, nec poteſtate, finitis, poterat ad illã vnionem peruenire. Cumq; intelligeret Deum, velut naturæ ſuæ, omniumq;

alia-

aliarum Auctorem ſuper omnia amandum, eiq; tamquam vltimo fini inhærendum, obligabatur quidem eum ſuper omnia amare, eique tamquã vltimo fini inhærere, & ſe, ſuaque omnia in illum referre; non tamen poterat ſolo intellectu, & poteſtate ſibi connaturali adiutus eòuſque aſſurgere, quo ratio dictabat aſſurgendum eſſe. Nam per ſolam rei Ideam, ſeu imaginem ipſa re imperfectiorem appetitus non impletur: vndè requiritur ſpecies, vel fides ſupplens ſpeciẽ: & cum hac adhuc tota die languet, concupiſcit, & deſiderat, teſte Auguſtino: *Feciſti nos Domine ad te, & irrequietum eſt cor noſtrum, requieſcat in te.* Quamdiù autem appetitus re deſiderata non potitur, ſiuè per fidem in ſpe, iuxta illud Pauli, *Spe ſalui facti ſumus*; *Rom.* 8. ſiuè per viſionem in re, iuxta illud Prophetæ: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; *Pſal.* 16. non poteſt illam amare amore perpetuæ beneuolentiæ, illi propter ſe inhærendo: quia non inhæretur niſi ei, quod nondũ poſſidetur in ſpe, vel in re; ſed tantùm quæritur ſibi amore concupiſcentiæ, vt guſtando videatur quàm bonum ſit, & interna dulcedine probetur, quàm amabile, & vtrum dignum ſit, cui tamquam fonti omnis boni, & vltimo omnium fini inhæreatur. Quemadmodum videmus ſcaturigines fontium exſpectare, & expetere quodammodò à mari ſuam repletionem, ut repletæ ſuas aquas per riuulos, & flumina in mare remittant; & numquam remittere,

tere, niſi impleantur. Hinc diſcipuli Sancti Auguſtini meritò ſuſtinent, quòd homo ſine Gratia Dei, ſeu ſpeciali vnione cum Deo cor eius inhabitante, vel ſaltem mouente non poſſit ipſum amare amore caſto, nec ei inhærere tamquam fini vltimo; & per conſequens aſſerunt, quod Deus creans Adam ad imaginem,& ſimilitudinem ſuam, debuerit ſecundùm Sapientiam ſuam Omnipotentiſſimæ eius Bonitati, ac Iuſtitiæ conformem, illi gratiam largiri, qua poſſet (vt debebat) ita ipſum amare, ſi vellet, & ad eius vnionem pertingere, eumque facie ad faciem videre, ſi vellet: ſicque in ſua poteſtate haberet, quidquid ad obligationem perſoluendam, requireretur: de hac Gratia Adami, vide reliqua dicta in Præambulis de Statu naturæ integræ, & de Morali Adamitica.

§. V.

De Gratia Chriſti.

Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius. *Ioann.* 1.

GRatia Chriſti eſt donum à Patre Aeterno intuitu meritorum Chriſti, & per Chriſtum miſericorditer datum naturę humanæ,quę tali dono per peccatum ſe poſitiuè reddiderat indignam. De natura huius doni, & de differentia eius à dono Adam, vide dicta de ſtatu na-

naturæ per Chriſtum reparatæ, & de Morali Chriſtiana in Præambulis.

§. VI.

De Sacramentis Chriſti.

Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua. *Ioannis* 19.

CVm Sacramenta Chriſti iuxta S. Auguſtinũ ex ipſius latere fluxerint; indubiè habenda ſunt in tanta æſtimatione, & veneratione apud Chriſtianos, in quanta habetur mors Chriſti, & lateris eius apertio, necnon aquæ,& ſanguinis ex illio effluuium; præſertim cum ſine illis Sacramentis nemo ſaluari poſſit;nam applicatio mortis Chriſti, quæ fuit pretium redemptionis noſtræ, non fit nobis niſi per Sacramenta, aut ſaltem eorum votum in neceſſitate. Eſt igitur Sacramentum Chriſti ſignum externum applicatiuum pretij redéptionis factæ per Chriſtum in Cruce morientem ijs, qui dignè illud ſuſcipiunt. Fuit autem applicatio iſta figurata per aquam, & ſanguinem, quæ effluxerunt ex latere Chriſti; quia aqua abluit peccatum, & ſanguis effuſus hoſtia eſt pro peccato: vndè in ſanguine effuſo intelligitur redemptionis pretiũ, in aqua verò intelligitur redemptionis applicatio,quæ fit per Baptiſmum, qui eſt ianua omniũ Sacramentorum, & cuius ſuſcepti virtute fit ho-

mo Chriſtianus, teneturque ad aliã Sacramenta ſuo ſtatui congrua tempore opportuno ſuſcipienda. Et quia ſunt quædam Sacramenta inſtituta pro ijs, qui ſpiritaliter mortui ſunt, videlicet Baptiſmus pro nondùm regeneratis in Chriſto, & Pœnitentia pro relapſis in mortale poſt Baptiſmum ſuſceptum: alia verò pro ijs, qui ſpiritaliter viuunt, ſcilicet reſpectu omnium adultorum Confirmatio & Euchariſtia; & reſpectu agonizantium extrema Vnctio; reſpectu autem diuerſorum ſtatuum Ordo & Matrimonium: hinc in ſequentibus de ſingulis Sacramentis agentes tractabimus: Primo de Virtute cuiuslibet Sacramenti; Secundo de Æſtimatione & Reuerentia cuilibet Sacramento debita: Tertio de Præparatione reſpectiuè neceſſaria ad ſingula Sacramenta: Quartò de Cura conſeruandi fructum, per Sacramentum, acceptum, velut certum æternæ vitæ pignus.

§. VII.

De Virtute Baptiſmi.

Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei. *Ioannis.* 3.

SIcut per generationem ex Adam omnes contrahunt peccatum originale, & naſcuntur filij iræ: ita per regenerationem in Baptiſmo Chriſti omnes lauantur à peccato originali, & fiunt mem-

membra Chriſti, nec non pacis filij, iuxta illud Pauli; *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur* 1.*Cor*. 15. Et quia maius eſt donum Chriſti, quàm peccatum Adę, eo quòd Chriſtus ſit Deus homo, & Adã fuerit purus homo; idcircò Baptiſmus nõ ſolùm remittit peccatum originale per Adam traductum, ſed etiam remittit peccatũ actuale commiſſum à filijs Adę, poſtquam ad vſum rationis peruenerint, ſi poſtea baptizentur. Non tamen tollit peccati reliquias, ſeu vulnera per peccatum naturæ inflicta, ſcilicet ignorantiam, malitiam, & concupiſcentiam; quia quamdiù baptizatus ſecundum illa non viuit, ei nocere non poſſunt; ita vt *nihil damnationis ſit ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant*, vt Paulus aſſerit, *Rom*. 1. Relinquuntur autem iſta vulnera vſque ad agonem, vt homo ſit memor peccati à ſe commiſſi, & ſit memor beneficij redemptionis per Chriſti mortem ſibi facti, & non extollatur, quaſi non peccauerit, aut ampliùs peccare non poſſit, ſed humiliter recognoſcat peccatum, & beneficium, habeatque materiam meriti per exercitium, ſuamque ſalutem cum timore, & tremore operetur.

§. VIII.

De Aeſtimatione, & Reuerentia Baptiſmo debita.

Quod natum eſt ex carne,caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu,ſpiritus eſt. *Ioannis* 3.

QVanta æſtimatio, & reuerentia Baptiſmo debeatur, ſatis indicat Eccleſia ſuis ceremonijs, quas Baptiſmo præmittit, & poſtponit, ſicuti videre eſt in Paſtorali. Nec mirum,quia ſicut Paulus dicit, *conſepulti ſumus Chriſto per Baptiſmum in mortem. Rom* 6. ac proindè eadem æſtimatione ac veneratione proſequi debemus noſtram ſepulturam ſub aquis baptiſmalibus, qua debemus proſequi ſepulturam Chriſti poſt mortem: nam idem Chriſtus eſt, qui nunc inuiſibiliter ſub aquis baptiſmalibus ſepelit peccata noſtra, quæ ſunt mors animæ,& qui viſibiliter poſt mortem ſuam ſepultus eſt, vt peccatorum noſtrorum ſepulturam, ſeu deletionem à Patre æterno mereretur. Vndè mirum quod multi Sacerdotes adminiſtrantes Sacramentum Baptiſmatis tam leuiter procedant,ſiue in ceremonijs, ſiue in ſubſtantia Sacramenti,vt populus Dei inde vel ſcandalizetur,vel paruam aut nullam huic Sacramento æſtimationem, aut reuerentiam exhibeat; quandoquidem (vt iam dictum eſt) non mi-

minor reſpectus debeatur Chriſto inuiſibiliter operanti, & paſſionem ſuam applicanti, quàm viſibiliter moriẽti, aut mortuo, & ſepulto; nec nõ ſummi vltimique momenti ſit ſalus animæ ex Baptiſmo prouèniens: eſt enim Veritatis verbum, *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei. Ioann. 3.* ſed quia parua inuenitur fides in terra; ideò refrixit charitas multorum: & ex iſto frigore venit, quod diuina, & æterna, & quæ ſalutem animæ concernunt, tam parui æſtimentur.

§. IX.

De Præparatione neceſſaria ad Baptiſmum.

Si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo, ſi dixero vobis cæleſtia, credetis? *Ioann 3.*

AD Baptiſmum paruulorum nulla ex parte ipſorum requiritur præparatio: quia ſicut voluntate Adæ peccauerunt; ita voluntate Chriſti iuſtificantur. Sed ad Baptiſmum adultorum requiritur ex parte ipſorum fides in Chriſtum, & deteſtatio peccatorum actualium, quæ commiſerunt ante Baptiſmum: debent enim auerti à peccato, & conuerti ad Deum ſpe conſequendæ remiſſionis per Baptiſmum Chriſti; vnde dicebat Philippus Diaconus Eunucho dicenti in Actis Apoſtolorum, quid prohibet me bap-

hoc eſt IESVS, nec Mediator noſter in propria natura, ſed in natura noſtra propriæ naturæ vnita, idque mediante ſua Paſſione, cui debemus configurari, ſi volumus ei configurari in gloria, in qua nunc eſt, & ad quam aſpiramus.

Sic igitur obiectum Moralis Tutioris in praxi eſt Verbum Dei Incarnatum, id eſt, Chriſtus paſſus pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius, ſicut Sanctus Apoſtolus Petrus loquitur: ideoque conſtitutus eſt Saluator, Mediator, & Caput omnium, qui in ipſum credunt; credent autem & omnes, quos vocabit efficaciter Deus ad fidem, & maximè quotquot gratuita Dei miſericordia intuitu mortis eius fuerint à maſſa damnationis diſcreti: nam quemadmodum Pater gratis prædeſtinauit Filium ſuum, vt eſſet homo, ita gratis prædeſtinauit eumdem, vt eſſet Redemptor, & Liberator hominum, & quidem quorumdam præ alijs efficaciter, applicando iſtis pretium ſuæ redemptionis, & non his, vt ſic eſſet Primogenitus potiùs in iſtis fratribus, quàm in his: quòd ſi gratis prædeſtinauit; ergò per gratiam, cuius plenitudinem in Chriſto tamquam Capite omnium principaliter Electorum poſuit, & ab ipſo in illos ſecundùm menſuram donationis eius voluit deriuari, & defluere.

Oportet ergò Chriſtum conſiderare per modum fontis, & ſcaturiginis omnium gratiarum; ipſam verò gratiam per modum aquæ defluẽtis in

in riuos varios per diuerſos canales; hos autem canales eſſe Sacramenta; Electos verò eſſe digniora receptacula. Vnde poſtquam iam breuiter de Chriſto diximus, dicamus de ipſius gratia.

§. III.

De Gratia in communi.

In principio erat Verbum,&c In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet. *Ioann.* 1.

Nomen gratiæ generaliter ſignificat quodlibet donum naturæ indebitum, quod dicitur gratum faciens, ſi tendat ad noſtram ſanctificationem; dicitur gratia gratis data, ſi tendat ad vtilitatem aliorum. Duplex eſt autem donum gratiæ iuxta duplicem rationem indebiti; ſi enim ſit indebitum merè negatiuè, quia ſcilicet Deus illud dare non tenetur, licet congruat eius Omnipotentiſſimæ Sapientiæ, & Bonitati, vt illud det, erit Gratia Adami: ſi verò ſit indebitum priuatiuè, quia homo poſitiuè ſeſe illo indignum reddidit, erit Gratia Chriſti.

§. IV.

De Gratia Adami.

Vita erat lux hominum. *Ioannis* 1.

GRatia hoc ipſo, quo Gratia eſt, illi cui ſit, indebita eſt, & abſolutè loquendo ſine ea relinqui poteſt, quia illa habita poteſt deſtitui, ſicuti per peccatum prima Gratia deſtitutus eſt Adam. Tamen nihil obſtat, quo minus Gratia debita ſit ex parte Sapientiæ, Bonitatis, & Iuſtitiæ Dei talem condentis naturam, quæ ſi per gratiam non eleuaretur ſupra ſe, imperfecta, & miſera eſſet; quia ad ſuum proprium finem pertingere nequiret. Et ſic gratia fuit à Deo debita Adamo: nam condendo eius naturam, dedit ei intellectum, & poteſtatem, valdè finita; appetitum autem, ſeu voluntatem quodammodò infinitam. Vndè poterat quidem Adam ſine gratia appetere, vt eſſet ſicut Deus ſciens bonũ, & malum (vti reuera appetijt) ſed non poterat ſolo intellectu finito ad talem ſcientiam peruenire; multò minus poterat per poteſtatem finitam ſibi illam dare. Poterat conſequenter appetere vniri perfectioni Dei, ſicut de facto vniũtur Sancti in Cælo, Diuinam eſſentiam videndo; & tamen nec intellectu, nec poteſtate, finitis, poterat ad illã vnionem peruenire. Cumq; intelligeret Deum, velut naturæ ſuæ, omniumq; alia-

aliarum Auctorem ſuper omnia amandum, eiq; tamquam vltimo fini inhærendum, obligabatur quidem eum ſuper omnia amare, eique tamquã vltimo fini inhærere, & ſe, ſuaque omnia in illum referre; non tamen poterat ſolo intellectu, & poteſtate ſibi connaturali adiutus eòuſque aſſurgere, quo ratio dictabat aſſurgendum eſſe. Nam per ſolam rei Ideam, ſeu imaginem ipſa re imperfectiorem appetitus non impletur: vnde requiritur ſpecies, vel fides ſupplens ſpeciẽ: & cum hac adhuc tota die languet, concupiſcit, & deſiderat, teſte Auguſtino: *Feciſti nos Domine ad te, & irrequietum eſt cor noſtrum, requieſcat in te.* Quamdiù autem appetitus re deſiderata non potitur, ſiuè per fidem in ſpe, iuxta illud Pauli, *Spe ſalui facti ſumus*; *Rom.* 8. ſiuè per viſionem in re, iuxta illud Prophetæ: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; *Pſal.* 16. non poteſt illam amare amore perpetuæ beneuolentiæ, illi propter ſe inhærendo: quia non inhæretur niſi ei, quod nondũ poſſidetur in ſpe, vel in re; ſed tantùm quæritur ſibi amore concupiſcentiæ, vt guſtando videatur quàm bonum ſit, & interna dulcedine probetur, quàm amabile, & vtrum dignum ſit, cui tamquam fonti omnis boni, & vltimo omnium fini inhæreatur. Quemadmodum videmus ſcaturigines fontium exſpectare, & expetere quodammodò à mari ſuam repletionem, ut repletæ ſuas aquas per riuulos, & flumina in mare remittant; & numquam remit-

tere,

tere, niſi impleantur. Hinc diſcipuli Sancti Auguſtini meritò ſuſtinent, quòd homo ſine Gratia Dei, ſeu ſpeciali vnione cum Deo cor eius inhabitante, vel ſaltem mouente non poſſit ipſum amare amore caſto, nec ei inhærere tamquam fini vltimo; & per conſequens aſſerunt, quod Deus creans Adam ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, debuerit ſecundùm Sapientiam ſuam Omnipotentiſſimæ eius Bonitati, ac Iuſtitiæ conformem, illi gratiam largiri, qua poſſet (vt debebat) ita ipſum amare, ſi vellet, & ad eius vnionem pertingere, eumque facie ad faciem videre, ſi vellet: ſicque in ſua poteſtate haberet, quidquid ad obligationem perſoluendam, requireretur: de hac Gratia Adami, vide reliqua dicta in Præambulis de Statu naturæ integræ, & de Morali Adamitica.

§. V.

De Gratia Christi.

Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius. *Ioann.* 1.

GRatia Chriſti eſt donum à Patre Aeterno intuitu meritorum Chriſti, & per Chriſtum miſericorditer datum naturę humanæ, quę tali dono per peccatum ſe poſitiuè reddiderat indignam. De natura huius doni, & de differentia eius à dono Adam, vide dicta de ſtatu na-

naturæ per Chriſtum reparatæ, & de Morali Chriſtiana in Præambulis.

§. VI.

De Sacramentis Chriſti.

Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua. *Ioannis* 19.

CVm Sacramenta Chriſti iuxta S. Auguſtinũ ex ipſius latere fluxerint; indubiè habenda ſunt in tanta æſtimatione, & veneratione apud Chriſtianos, in quanta habetur mors Chriſti, & lateris eius apertio, necnon aquæ,& ſanguinis ex illo effluuium; præſertim cum ſine illis Sacramentis nemo ſaluari poſſit;nam applicatio mortis Chriſti, quæ fuit pretium redemptionis noſtræ, non fit nobis niſi per Sacramenta, aut ſaltem eorum votum in neceſſitate. Eſt igitur Sacramentum Chriſti ſignum externum applicatiuum pretij redèptionis factæ per Chriſtum in Cruce morientem ijs, qui dignè illud ſuſcipiunt. Fuit autem applicatio iſta figurata per aquam, & ſanguinem, quæ efluxerunt ex latere Chriſti; quia aqua abluit peccatum, & ſanguis effuſus hoſtia eſt pro peccato: vndè in ſanguine effuſo intelligitur redemptionis pretiũ, in aqua verò intelligitur redemptionis applicatio,quæ fit per Baptiſmum, qui eſt ianua omniũ Sacramentorum, & cuius ſuſcepti virtute fit ho-

mo

mo Chriſtianus, teneturque ad aliā Sacramenta ſuo ſtatui congrua tempore opportuno ſuſcipienda. Et quia ſunt quædam Sacramenta inſtituta pro ijs, qui ſpiritaliter mortui ſunt, videlicet Baptiſmus pro nondùm regeneratis in Chriſto, & Pœnitentia pro relapſis in mortale poſt Baptiſmum ſuſceptum:alia verò pro ijs, qui ſpiritaliter viuunt,ſcilicet reſpectu omnium adultorum Confirmatio & Euchariſtia; & reſpectu agonizantium extrema Vnctio;reſpectu autem diuerſorum ſtatuum Ordo & Matrimonium:hinc in ſequentibus de ſingulis Sacramentis agentes tractabimus:Primo deVirtute cuiuslibet Sacramenti;Secundo de Æſtimatione & Reuerentia cuilibet Sacramento debita: Tertio de Præparatione reſpectiuè neceſſaria ad ſingula Sacramenta: Quartò de Cura conſeruandi fructum,per Sacramentum,acceptum, velut certum æternæ vitæ pignus.

§. VII.

De Virtute Baptiſmi.

Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei. *Ioannis*. 3.

SIcut per generationem ex Adam omnes contrahunt peccatum originale, & naſcuntur filij iræ:ita per regenerationem in Baptiſmo Chriſti omnes lauantur à peccato originali, & fiunt mem-

membra Chriſti, nec non pacis filij, iuxta illud Pauli; *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur* 1.*Cor*. 15. Et quia maius eſt donum Chriſti, quàm peccatum Adę, eo quòd Chriſtus ſit Deus homo, & Adā fuerit purus homo; idcircò Baptiſmus nō ſolùm remittit peccatum originale per Adam traductum, ſed etiam remittit peccatū actuale commiſſum à filijs Adę, poſtquam ad vſum rationis peruenerint, ſi poſtea baptizentur. Non tamen tollit peccati reliquias, ſeu vulnera per peccatum naturæ inflicta, ſcilicet ignorantiam, malitiam, & concupiſcentiam; quia quamdiù baptizatus ſecundum illa non viuit, ei nocere non poſſunt; ita vt *nihil damnationis ſit ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant*, vt Paulus aſſerit, *Rom*. 1. Relinquuntur autem iſta vulnera vſque ad agonem, vt homo ſit memor peccati à ſe commiſſi, & ſit memor beneficij redemptionis per Chriſti mortem ſibi facti, & non extollatur, quaſi non peccauerit, aut ampliùs peccare non poſſit, ſed humiliter recognoſcat peccatum, & beneficium, habeatque materiam meriti per exercitium, ſuamque ſalutem cum timore, & tremore operetur.

§. VIII.

De Aeſtimatione, & Reuerentia Baptiſmo debita.

Quod natum eſt ex carne,caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu,ſpiritus eſt. *Ioannis 3.*

QVanta æſtimatio, & reuerentia Baptiſmo debeatur, ſatis indicat Eccleſia ſuis ceremonijs, quas Baptiſmo præmittit, & poſtponit, ſicuti videre eſt in Paſtorali. Nec mirum,quia ſicut Paulus dicit, *conſepulti ſumus Chriſto per Baptiſmum in mortem. Rom 6.* ac proindè eadem æſtimatione ac veneratione proſequi debemus noſtram ſepulturam ſub aquis baptiſmalibus, qua debemus proſequi ſepulturam Chriſti poſt mortem: nam idem Chriſtus eſt, qui nunc inuiſibiliter ſub aquis baptiſmalibus ſepelit peccata noſtra, quæ ſunt mors animæ,& qui viſibiliter poſt mortem ſuam ſepultus eſt, vt peccatorum noſtrorum ſepulturam, ſeu deletionem à Patre æterno mereretur. Vndè mirum quod multi Sacerdotes adminiſtrantes Sacramentum Baptiſmatis tam leuiter procedant,ſiue in ceremonijs, ſiue in ſubſtantia Sacramenti,vt populus Dei inde vel ſcandalizetur,vel paruam aut nullam huic Sacramento æſtimationem, aut reuerentiam exhibeat; quandoquidem (vt [illegible] dictum eſt) non mi-

minor reſpectus debeatur Chriſto inuiſibiliter operanti, & paſſionem ſuam applicanti, quàm viſibiliter moriēti, aut mortuo, & ſepulto; nec nō ſummi vltimique momenti ſit ſalus animæ ex Baptiſmo prouèniens: eſt enim Veritatis verbum, *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei. Ioann. 3.* ſed quia parua inuenitur fides in terra; ideò refrixit charitas multorum: & ex iſto frigore venit, quod diuina, & æterna, & quæ ſalutem animæ concernunt, tam parui æſtimentur.

§. IX.

De Præparatione neceſſaria ad Baptiſmum.

Si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo, ſi dixero vobis cæleſtia, credetis? *Ioann* 3.

AD Baptiſmum paruulorum nulla ex parte ipſorum requiritur præparatio: quia ſicut voluntate Adæ peccauerunt; ita voluntate Chriſti iuſtificantur. Sed ad Baptiſmum adultorum requiritur ex parte ipſorum fides in Chriſtum, & deteſtatio peccatorum actualium, quæ commiſerunt ante Baptiſmum: debent enim auerti à peccato, & conuerti ad Deum ſpe conſequendæ remiſſionis per Baptiſmum Chriſti; vnde dicebat Philippus Diaconus Eunuchò dicenti in Actis Apoſtolorum, quid prohibet me bap-

tizari? *ſi credis ex toto corde, licet. Act,* 2. nam qui credit ex toto corde, habet fidem per dilectionem operantem, qua omnia peccata deteſtatur, & præſtat reliqua ad iuſtificationem neceſſaria. Ideò catechizantur adulti, antequam ad Baptiſmum admittantur. Pro paruulis autem reſpondent Patrini, ideoque tenentur illos inſtruere de fide, excitare ad ſpem, & animare ad charitatem, cæteraſque virtutes Chriſtianas, ſi in hoc deſint parentes paruulorum.

§. X.

De cura conſeruandæ Innocentiæ baptiſmalis.

Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum opera mala. *Ioann.* 3.

NOn ſatis deplorari poteſt incuria modernorum parentum ad conſeruandos ſuos liberos in innocentia baptiſmali: videmus enim paſſim omnes maiorem curam habere temporalium bonorum, quàm ſalutis ſpiritualis ſuorum liberorum. Quinimò videmus parentes & verbis, & factis inducere liberos ſuos ad amorem ſui, & mundi, docentes eos maiorem proprij corporis, ornatus eiuſdem, acquirendorum bonorum temporalium, honorum, ac dignitatum,

ſo-

ſolicitudinem gerere, quàm ſaluandæ propriæ animæ. In quo proh dolor! nutritur veteris Adæ corruptio, & vitiorum eius radices altiùs figuntur productur æ fructus peſſimos, quorum eſus denuò eijciet paruulos iſtos baptizatos, dum adulti fuerint, ex Paradiſo voluptatis animę, dum propter amorem mundi perdent, & proijcient innocentiam Baptiſmi, quam in nouo Adam Chriſto, veteris inimico, acquiſiuerant.

Nec ſolùm deploranda illa parentum incuria, ſed multò magis illorum Sacerdotum doctrina, qua docent tam facilè per Sacramentum Pœnitentiæ recuperari illam innocentiam, vt ſufficiat timere gehennam, & confiteri peccata ſua, vt quis illam recuperet: nam ex hac doctrina, quamuis eſſet vera, & parentes, & filij inducuntur ad paruipendendam dictam innocentiam, tam facilè (vt ſibi falsò imaginantur) recuperabilem. Sed patebit ex dicendis de Sacramento Pœnitentiæ, quod ſit difficillimè recuperabilis, & quod hæc doctrina ſit maximè periculoſa, ſaltem quatenus deprædicat tantam veræ conuerſionis facilitatem.

Itaque innocentia baptiſmalis conſeruanda eſt, ſicut ipſa animæ vita pretioſo Chriſti ſanguine parta, & reparata; conſeruanda eſt velut numquam ampliùs recuperanda, ſi deperdatur: idem enim eſt peccare mortaliter poſt Baptiſmum, ac denuò Chriſtum crucifigere, & oſtentui habere, vt loquitur Paulus ad Hebræos: Idem

eſt, ac renuntiare pretio redemptionis ſuæ, in quo tanta ingratitudo inuenitur, vt homo ſic peccans, vlteriori miſericordia Dei prorſùs indignus ſit. Et ſanè quamuis in Eccleſia Dei ſit Pœnitentia à Chriſto inſtituta pro relapſis; ipſa tamen Pœnitentia conſiderari debet, ſicut conſiderata eſt à Sanctis Patribus, nimirum tamquam ſecunda pòſt naufragium tabula. Quàm pauci verò euadunt naufragium per ſimilem tabulam! quàm paucis illa tabula conceditur! aut quàm pauci illa bene vtuntur, vt ad portum ſalutis appellant! quàm pauci veram Pœnitentiam agunt, quàm Tridentinum ex Patribus vocat laborioſum quemdam Baptiſmum! quàm pauci labores Pœnitentiæ ſubire volunt!

Non eſt autem alia via conſeruandi innocentiam baptiſmalem, quàm Chriſtiana liberorum educatio: nam quid prodeſt paruulis fuiſſe baptizatos, ſi, cum ad vſum rationis venerint, non ſecundum Chriſtum, ſed ſecundum carnem ambulent? ambulabunt autem infallibiliter ſecundum carnem, ſi paulatim non inſtruantur de obligatione Chriſtiana, quam in Baptiſmo contraxerunt, ſi non inſtruantur de pretio magno Sanguinis Chriſti, quo redempti, & ſanctificati ſunt in ſuo Baptiſmo, ſi non inducantur, trahantur, compellantur ad viuendum ſecundum prædictam obligationem; & conſequenter ſi non animentur & armentur ad vincendum illa tria, quæ ſunt in mundo, iuxta Euangeliſtam Ioannem

nem,ſcilicet, *Concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ.* Ad quam victoriam obtinendam incumbit Parentibus, & Directoribus arcere paruulos ab occaſionibus, & obiectis illarum cupiditatum, & refrænare illos in occaſione, & obiecto propoſito, nec non verbo, ac exemplo in omnibus ipſis prælucere; præſertim matri, quæ ordinariè illis aſſiſtit,& illos enutrit; de qua proinde dicit Paulus; quod *ſaluabitur per filiorum generationem: ſi permanſerit in fide, & dilectione,& ſanctificatione cum ſobrietate. 1. Tim. 2.* relinquens intelligi, quòd ſi in iſtis non permanſerit, & prolem genuerit, damnabitur, manens in præuaricatione, in qua fuit ſeducta, & permittens ſuam prolem ſeduci. Væ igitur parentibus,& alijs,qui debent liberos educare, ſi illos non docuerint innocentiam baptiſmalem ſeruare, quia repoſcetur ſanguis liberorum de manibus parentum.

§. XI.

De Virtute Confirmationis.

Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero,mittam eum ad vos *Ioannis.16.*

MAgnam eſſe Virtutem Sacramenti Confirmationis ex ipſo nomine ſatis colligitur; & præſertim ex hoc quod Chriſtus jam jam aſcenſurus in cœlum, & volens indicare Diſcipu-

lis ſuis virtutem huius Sacramenti dixerit eis adhuc infirmis & timidis: *ego mitto promiſſum Patris mei in vos: vos autem ſedete in ciuitate, quoad vſque induamini virtute ex alto.* Quanta verò fuerit hæc virtus patuit in die Pentecoſtes, quando Apoſtoli propter metum Iudæorum delitescentes ſubitò repleti ſunt omnes Spiritu Sancto & prodeuntes in publicum cœperunt liberè prædicare Ieſum Nazarenum à mortuis rediuiuum, & Iudæis, qui illum crucifixerunt, exprobarę ſuã cæcitatem, tribunalia non reformidare, imò diſcedere à conſpectu concilij gaudentes, quòd digni fuiſſent pro nomine Ieſu contumeliam pati; donec tandem pro Chriſto afficerentur martyrio, quod hac virtute ſolidati libentiſſimè pertulerunt.

Quòd autem per Sacramentum Confirmationis conferatur eadem virtus, quæ extraordinariè ſine Sacramento fuit collata Apoſtolis in die Pẽtecoſtes, & ab ipſis Apoſtolis conferebatur alijs fidelibus per impoſitionem manuum; ſatis ex eo liquet, quòd hoc Sacramentum vocetur in Eccleſia Sacramentum plenitudinis Spiritus Sancti, de quo Melchiades Papa in Epiſtola ad Hiſpaniarum Epiſcopos, quæ habetur Tomo primo Conciliorum, ſic ait: Spiritus Sanctus, qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit lapſu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam: in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam: in Baptiſmo regeneramur ad vitam: poſt Baptiſmũ confirma-

ma-

mamur ad pugnam: in Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur.

§. XII.

De æſtimatione & reuerentia Confirmationi debita.

Ego mitto promiſſum Patris mei in vos. *Lucæ* 24.

QVod verò plurimi faciendum ſit hoc Sacramentum, & in ſumma veneratione habendum, manifeſtum reddunt verba Melchiadis Papæ ante citata: ſicut enim indigemus Baptiſmo ad innocentiam, ita indigemus Confirmatione ad gratiæ augmentum; & ſicut Baptiſmo indigemus, vt quaſi de nouo generemur; ita indigemus Confirmatione, vt contra hoſtes innocentiæ baptiſmalis, & nouitatis vitæ noſtræ ad pugnã confirmemur, & roboremur: nam ſanè ſummum robur nobis neceſſarium eſt ad ſuperandas omnes tentationes, quibus & à carne, & à mundo, & à diabolo continuò impetimur; imò vt ipſam mortem Chriſtianè toleremus, à quacumque cauſa nobis inferatur; ſatiſque experimur nos frequenter tentationi ſuccumbere, quia iſto robore caremus. Quod inde prouenit, vel quia Sacramẽtum Confirmationis non ſuſcepimus, vel quia non cum debita diſpoſitione ſuſcepimus, vel quia in conſeruando eius effectu non ſatis ſoliciti fuimus,

mus, vel quia vt nobis ſuo tempore conferretur ille effectus non ſatis vigilauimus, & orauimus, iuxta illud Chriſti dicentis ad Apoſtolos.

Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum? vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Matth. 26.

§. XIII.

De præparatione neceſſaria ad Confirmationem

Vos autem ſedete in Ciuitate, quoaduſque induamini virtute ex alto. *Luca* 24.

SAcramenta indigent Mente Deo ſacrata ad dignam ſui ſuſceptionem; & quidem Sacramenta mortuorum indigent Mente Deo ſacrata in abdicatione vitiorum, & in propoſito efficaci virtutum, quod ex dignis pœnitentiæ fructibus colligi debet. Sacramenta autem viuorum indigent intima Dei amicitia ſeu conſortio Naturæ diuinæ, & inſuper actuali deſiderio iſtam amicitiam augendi, ſeu magis intimè Deo ſeſe vniendi per maiorem Charitatis radicationem, ac inſuper acquirendi auxilia neceſſaria ad omnes tentationes vincendas, profectumque in virtutibus faciendum, atque adeò ad perſeuerandum vſque in finem: quæ omnia de præparatione ad ſuſceptionem Sacramenti Confirmationis maximè vera ſunt: nam non confirmatur, niſi qui iam in

Chri-

Chriſto eſt,& per conſequens in amicitia Dei:nec confirmatur,niſi quivult perfectius Chriſto iungi,& tam firmiter ei adhærere, vt cum Paulo dicere poſſit in perſona omnium electorum,*certus ſum,quia neque mors,neque vita, neque Angeli, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro*; *Rom.* 8. adeò vt confirmandus quærere debeat eſſe miles Chriſti inſeparabilis, & inuincibilis. Quando autem dico, non confirmatur, non intelligo quaſi non accipiat characterem Confirmationis, ſed quod non accipiat robur,niſi habeat diſpoſitionem prædictam. Et quamuis hoc robur ſaltem habituale,tam benè poſſit addi paruulis baptizatis,ac adultis, per Sacramentum Confirmationis; tamen quia hoc Sacramentum non eſt abſolutæ neceſſitatis, ſicut Baptiſmus: eò quòd paruulus in Chriſto exiſtens per Batiſmum poſſit ſaluari ſine iſto robore,quo extra tentationem non indiget: & ad augmentum roboris faciat actuale deſiderium,quod paruuli habere non poſſunt,practicatur in Eccleſia Dei,vt hoc Sacramentum non conferatur ordinariè nſi Adultis, qui capaces ſunt iſtius deſiderij, & inſuper propoſiti Chriſto inſeparabiliter adhærendi, præſertim cùm tanta ſit negligentia eorum, qui curam paruulorũ habent, vt vix illos admoneãt obligationis in Baptiſmo contractæ:nam ſatis indè colligitur, quòd multò minus eos militiæ ſuæ pro Chriſto ſuſceptæ admonituri ſint;& conſtat,quod non

non admoneant. Et heu! quam pauci Adulti ex hoc Sacramento fructum percipiunt; nam primo multi cogitantes hoc Sacramentum non eſſe abſolutè neceſſarium ad ſalutem, illud non recipiunt: in quo defectu quomodo excuſentur à contemptu non clarè video; cùm hoc Sacramentum contra tentationes quotidianas, quæ adultis grauiſſimæ ingruunt, & ſine forti robore ſuperari non poſſunt, inſtitutum ſit. Secundò, quia multi quaſi pro forma, vt videantur boni Chriſtiani, atque adeo frequenter exiſtentes in peccato mortali illud recipiunt. Tertiò, quia cum deſit pleriſque æſtimatio & veneratio huic Sacramento debita, non accedunt ad illud ſuſcipiendum cum tanta deuotione, quantum requirit plenitudo Spiritus Sancti, quæ datur per hoc Sacramentum. Hinc paſſim omnes grauioribus tentationibus ſuccumbunt, nón obſtante Gratia ſui Baptiſmi, quæ data eſt eis ad innocentiam, ſeu iuſtificationem à peccato, ſed non ad robur contra tentationes ingraueſcentes. Hinc etiam ſuccumbunt multi huiuſmodi tentationibus, quia ignorant, vel (ſi ſciant) non ſatagunt invocare Dominum Deum, vt in tempore tentationis dignetur illis largiri gratias actuales, quas virtute characteris Confirmationis adpromiſit dare omnibus confirmatis, petentibus eas, ſicut oportet.

§. XIV.

§. XIV.

De cura conſeruandi roboris per Confirmationem acquiſiti.

Vigilate & orate,vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro verò infirma. *Marci* 14.

QVæ iam dicta ſunt de neglectu, qui committi ſolet circa hoc Sacramentum,etiam ſeruiunt ad probandam incuriam conſeruandi robur eiuſdem, ſi quod in eius ſuſceptione acquiſitum eſt.Sed præterea eſt aliud malum, quã ſolius negligentiæ, aut contemptus, ſcilicet præcipitatio in occaſiones tentationum, & peccatorum,quando illi,qui Confirmati ſunt, aut ſuis viribus, aut etiam Confirmationi ſuæ nimis fidentes, non verentur occaſioni peccandi ſeſe exponere:nam Spiritus Sanctusnon tantum deſerit eos,qui ipſum non curant,aut contemnunt, ſed etiam eos,qui confidunt in ſeipſis, & qui periculum amant. Vt igitur robur Confimationis conſeruetur,ante omnia ſatagendum eſt, vt habeatur: habebitur autem ſi hoc Sacramentum dignè ſuſcipiatur: dignè autem ſuſcipitur, ſi ſuſcipitur in ſtatu gratiæ,id eſt, in innocentia baptiſmali, aut(ſi hæc amiſſa ſit)in eadem per condignam pœnitentiam recuperata, addaturque magnum,cum petitione accipiendi hoc robur à Do-

Domino,deſiderium: deindè ſatagendum eſt, vt nulla detur Deo cauſa hoc robur ſubtrahendi, fundaturque ſtatis temporibus oratio ad Deum, vt per ſuam miſericordiam in Chriſto Ieſu Domino noſtro illud continuare dignetur intuitu characteris per hoc Sacramentum impreſſi, velut ſigni militiæ Chriſtianæ.

§. XV.

De virtute Euchariſtiæ.

Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. *Ioannis* 6.

EVchariſtia habet vim ſpiritaliter nutriendi ſecundum illud Chriſti: *Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus. Ioannis* 6. Item habet vim permanendi iuxta illud, *qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem in me manet & ego in eo; Ibidem.* Dixi, ſpiritaliter,non ad excluſionem realis nutritionis, ſed naturalis,qualis eſt nutritio ordinaria corporis per aſſumptionem ſenſibilem cibi,& potus materialis. Cum enim ipſa Veritas dicat. *Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus,* dicendo *verè*, ſignificat realem nutritionem quæ fit per Cibum Corporis ſui,& per potum ſui Sanguinis:& dicendo, *qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo*,aperte ſignificat realem manſionem ſumentis

tis in ipſo, & ipſius ſumpti in illo: Adeo vt velle negare realem nutritionem huius cibi & potus, eiuſdemque manſionem in ſumente,& ſumentis in ipſo, ſit manifeſtè Veritati contradicere. Quod cum nefas ſit Chriſtiano, non relinquitur vllus ambigendi locus quænam ſit Euchariſtiæ virtus,& quis iſtius virtutis effectus, nimirum nutrire & permanere. Qui cupit magis confirmari de vero iſtorum verborum ſenſu,legat Homilias & Sermones Sanctorum Patrum exſtantes in Breuiario per octauam Venerabilis Sacramenti, & clariſſimè videbit ſenſum verborum prędicto rum iam allegatum, eſſe proprium, & verum.

§. XVI.

De æſtimatione & reuerentia Euchariſtiæ debita.

Hic eſt Panis,qui de Cælo deſcendit. *Ioannis.6.*

SI illi,qui delicias corporales quærunt, magnum faciunt delectum ciborum & potuum corporalium,quanto magis Chriſtiani, quorum profeſſio eſt non quærere, nec expetere delicias niſi ſpiritales, æſtimare debent præſtantiſſimum illum cibum & potum,qui dant animæ nutrimentum vitę æternæ, cuius initium in Baptiſmo acceptum eſt,& robur in confirmatione;quique dant corpori vim reſurgendi glorioſè, non flu-

fluxam & tranſitoriam, ſicut alimentum corporale dat vim corporaliter viuendi, ſed permanentem, ac firmam, modò à languenti ſtomacho nutrimentum illud ſpiritale non reijciatur, vel in mortuo non inueniat, quod alat: deinde ſi reliqua Sacramenta veneranda ſint, quia virtus Chriſti illis adeſt, & in illis operatur; quantò magis hoc Sacramentum venerandum eſt, in quo Chriſtus ipſe ſumitur, & per ſe ipſum alit; ita vt ſpecialiter ab Eccleſia hoc Sacramentum, *Venerabile* nuncupetur: Venerabile dico, ſed à paucis veneratum, quia à paucis vera fide, quæ per dilectionem operatur, creditum.

§. XVII.

De præparatione neceſſaria ad ſuſcipiendam Euchariſtiam.

Nolite dare Sanctum canibus. *Matth.7.*

QVandoquidem Sacramentum Euchariſtiæ ſit omnium aliorum Sacramentorum dignisſimum, & præſtantiſſimum, ratione realis præſentiæ Chriſti; haud dubium eſt, quin præparatio ad illud recipiendum maxima, & exactiſſima requiratur, vt patebit in ſequentibus, ex doctrina Chriſti, Apoſtoli, & in perpetua Patrum traditione.

§.XVIII.

§. XVIII.

De præparatione neceſſaria ſecundum Chriſtum.

QVanta præparatio requiratur ad dignè ſuſcipiendam Euchariſtiam, ſatis indicauit Chriſtus Diſcipulis ſuis, dum Cœna legali peracta ſurrexit à menſa, & poſuit veſtimenta ſua,& accepto linteo, præcinxit ſe:deindè miſit aquam in peluim & cœpit lauare pedes Diſcipulorum,& extergere linteo,quo erat præcinctus: tum ſubiunxit hæc verba,*qui lotus eſt,non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus*, ſignificans ad Euchariſtiam ſumendam, ad quam Diſcipulos ſuos præparabat,non ſolùm requiri lotionem à peccatis mortalibus,ſed etiam ab affectu peccatorum venialium, ſignificatorum per pulueres adhærentes pedibus noſtris, quamdiu ſuper terram ambulamus; ſicut peccata venialia adhærent pedibus mentis noſtræ, id eſt, affectibus,quamdiu peregrinamur à Domino:inſuper ſignificans ſua extrema charitate & humilitate, quam illis poſt lotionem pedum commendat & mandat, ad Euchariſtiam dignè ſumendam requiri excellentem charitatem & humilitatem: qua præparatione,quia Iudas caruit, ideo indignè Euchariſtiam ſumpſit,& Satanas in eum introiuit.

§. XIX.

De præparatione neceſſaria ſecundum Apoſtolum.

NEceſſitatē huius diſpoſitionis grauiſſimis Verbis expreſſit Apoſtolus 1. Corinthiorum 11. Cum enim ibi reprehendiſſet Corinthios de quibuſdam exceſſibus, quos ante ſumptionem Euchariſtiæ committebant, & eius inſtitutionem retuliſſet; ſic concludit contra indignè accedentes: *Itaque quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne reus erit Corporis, & Sanguinis Domini; probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans Corpus Domini* Atque vt ante omnia oſtendat Corinthijs requiri charitatem ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum, contra quam peccabant, præuenientes invicem in cœna communi, quam Euchariſtiæ in memoriam facti Chriſti præmittebant, & contemnentes alij alios præſertim pauperiores; concludit tandem ſic; *Itaque fratres mei, cum conuenitis ad manducandum, inuicem expectate. Si quis eſurit, domi manducet, vt non in iudicium conueniatis.* Iudicium ergo ſibi manducant. qui ad Euchariſtiam accedunt non ha-

habentes charitatem proximi.

§. XX.

De præparatione neceſſaria ſecundum S. Dionyſium.

SAnctus Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 2. dicit, quòd ordo ſanctæ Hierarchiæ benè permittat catechumenis, energumenis & ijs qui Pœnitentiam agunt, vt cœleſtem Pſalmodiam, ſeu Pſalmorum cantum, & Sanctarum Scripturarum diuinam lectionem audiant; ſed quòd non patiatur, vt ſacrificio interſint, vel gaudeant aſpectu myſteriorum, reſeruans hoc ſacrum ſpectaculum oculis puris & integris perfectorum Chriſtianorum. Additque quòd Sacrificium diuinum arceat à ſe pœnitentes, quamuis olim ei participauerint; quia nil niſi purum & ſanctum recipit: & infert, quòd non ſolum hi, qui à ſtatu vitæ ſanctæ & Chriſtianæ exciderunt, debeant è Templo Dei ſecedere; ſed etiam ij, qui à vita mala ad meliorem conuerſi, à phantaſmatibus & imaginibus, quæ remanent in ipſis ex præteritis exceſſibus, per contrariam habitudinem, & amoris diuini abſque vlla mixtione puritatem, nondum purgati ſunt; hoc ſacrificium pro ſe nimis ſublime ſuamque capacitatem ſuperexcedens iudicare debeant; & quòd proinde oporteat peruenisse ad virtutem quamdam di-

uinam, & ex præcedenti habitu deificam, nec non ad firmam & inſuperabilem cum rebus diuinis adhæſionem, Deique perfectam vnionem; verbo dicam quod oporteat perfectum & irreprehenſibilem eſſe, vt quis tantorum myſteriorũ participatione dignus inueniatur,

§. XXI.

De præparatione neceſſaria ſecundùm S. Iuſtinum.

SAnctus Iuſtinus martyr in ſua ſecunda Apologia explicans hoc Sacramentum nos docet, quod ſicuti Eccleſia non admittebat ad participationem myſteriorum eos, qui in doctrina fidei nondum erant inſtructi, & qui nondum in aquis ſacri Baptiſmatis exuerant veterem hominem cum actibus ſuis; ita etiam repellebat eos quorum vita non correſpondebat huic natiuitati diuinæ, & qui profitentes Chriſtum, moribus ſuis regulam Chriſti non tenebant,

§. XXII.

De præparatione neceſſaria ſecundum S. Baſilium.

SAnctus Baſilius lib. primo de Baptiſmo dicit, quòd oporteat mortuum eſſe peccato, mun-

mundo & ſibi ipſi, nec non viuere ſoli Deo, vt quis dignus ſit particeps eſſe Euchariſtiæ. Et in Moralibus ſuis regula 80. cap: 22.idem repetit dicens,quod oportat imprimis Chriſtianum ſan. guine Chriſti purgatum eſſe ab omni inquinatione corporis & ſpiritus;deindè acquirere ſanctitatem perfectam per timorem Dei & amorem Ieſu Chriſti;denique non habere maculam aut rugam,nec aliquid huiuſmodi,ſed ſanctum & irreprehenſibilem eſſe, vt manducet Corpus Ieſu Chriſti,eiuſque Sanguinem bibat: *qui enim manducat & bibit indignè, indicium ſibi manducat & bibit.*

§. XXIII.

De præparatione neceſſaria ſecundùm S.Ambroſium.

SAnctus Ambroſius ſermone de Dom.4. Aduentus inſtruens populum ſuum de præparatione neceſſaria ad Euchariſtiam, dicit; quod iu Corpore Chriſti vita noſtra conſiſtit, ſicut & ipſe Dominus noſter dixit, *niſi manducaueritis carnem Filij hominis*, &c. mutet ergo vitam(inquit)qui vult accipere vitam, nam ſi non mutat vitam,ad iudicium accipiet vitam, & magis ex ipſa corrumpitur,quam ſanetur, magis occiditur,quam viuificetur.

§. XXIV.

De præparatione neceſſaria ſecundùm S. Chryſoſtomum.

SAnctus Chryſoſtomus Homilia 17. in Epiſt. ad Hebræos explicans hęc mirabilia Eccleſiæ verba in celebratione myſteriorum tũc temporis à Diacono alta voce pronunciari ſolita, vt dignos alliceret ad Euchariſtiam,& indignos deterreret, ſcilicet, *Sancta Sanctis*, dicit, quòd verba illa his æquiualeant: ſi quis ſanctus non eſt, non accedat ad hanc menſam: non dicit ſolùm, ſi quis à peccatis nondùm mundatus eſt, ſed ſi quis ſanctus non eſt: non enim ſola remiſſio peccatorum facit hominem ſanctum, ſed præſentia Spiritus Sancti in eius anima, & diues abundantia bonorum operum.

§. XXV.

De præparatione neceſſaria ſecundùm S. Hieronymum.

SAnctus Hieronymus in caput nonũ Zachariæ explicans hæc verba: *Frumentum electorum, & vinum germinans virgines*: dicit, quòd hunc panem (ſcilicet Euchariſticum) comedunt, qui in Chriſto robuſti ſunt, qui frumentum eſt

ele-

electorum, ſiuè iuuenum, ipſe eſt & vinum,quod lætificat cor hominis, & bibitur ab his virginibus, quæ ſunt ſanctæ, & corpore, & ſpiritu, vt inebriatæ, atque gaudentes ſequantur Eccleſiã, & dicatur de eis, *adducentur Regi virgines poſt eam*. Item in Pſalm.77. ſuper illa verba, *adhuc eſcæ erant in ore eorum*, &c. Hæc inquit, de his, qui Deum poſt acceptum Manna dereliquerunt: nam & nunc in Eccleſia, ſi quis Carne, & Sanguine Chriſti reficitur, & declinat ad vitia, nouerit Dei iudicium imminere,ſicut Paulus Apoſtolus ait: *Qui acceperit Corpus, & Sanguinem Chriſti indignè, iudicium ſibi ſumit, & bibit*.

§. XXVI.

De præparatione neceſſaria ſecundùm S. Auguſtinum.

Sanctus Auguſtinus Tract. 26. in Ioãnem explicat in hunc modum iſta verba Euãgelij: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*: Norunt fideles Corpus Chriſti,ſi CorpusChriſti non negligant eſſe. Fiant Corpus Chriſti,ſi volũt viuere de ſpiritu Chriſti. Vide reliqua lect.2. & tertia de Hom. feriæ ſecundæ infra octauam Corporis Chriſti in Breuiario. Item obſerua ſequentia verba eiuſdem Tractatus Hom.in ipſo feſto Corporis Chriſti, lectione ſecunda: Chriſti Sacramenta aliquis non dignè ſumit, niſi

qui mundus eſt; de quibus dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

§. XXVII.

De præparatione neceſſaria ſecundùm S. Gregorium.

DIuus Gregorius lib. 2. in primùm Regum cap. 1. ſuper illa verba Cantici Annæ, *repleti priùs pro panibus ſe locauerunt, & famelici ſaturati ſunt*, dicit ea quotidie adimpleri in Euchariſtiæ ſumptione, in qua ſoli famelici ſaturantur, & repleti manent vacui; ſic enim ait: Quod tamen contra negligentes ſacri Altaris Miniſtros, atque audaces Dominici Corporis ſuſceptores dici non inconuenienter poteſt. Repleti verò priùs ſunt, vitiorumque cibo ſaturati, qui pro pane ſe locant; quia corpus ad ſuſceptionem Euchariſtiæ præparant, qui nimirùm comedunt, & ſaturari non poſſunt, quia etſi Sacramentum ore percipiunt, virtute Sacramenti nequaquam replentur .. .. .. non ſaturantur ergò niſi famelici; quia à vitijs perfectè ieiunantes, diuina Sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. Et quia ſine peccato electi etiam viri eſſe non poſſunt; quid reſtat, niſi vt à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non deſinit, euacuari quotidie conentur? nam qui quotidiè non exhaurit, quod delinquit, etſi minima ſint peccata, quæ congerit, pau-

latim

latim anima repletur, atque meritò ei auferunt fructum internæ ſaturitatis. Hac repletione nos euacuare Paulus inſinuans ait. *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Quid enim eſt hoc loco, *probare*, niſi euacuata peccatorum nequitia, ſe probatum ad Dominicam menſam, & purum exhibere? de repletis etiam ſubdit: *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit.* Qui ergò quotidie delinquimus, quotidie ad Pœnitentiæ lamenta curramus; quia ipſa ſola virtus eſt, quæ euacuat, quod in ventre animæ culpa coadunat. Et tunc verè famelici ſaturantur; quia quò ſtudioſiùs mundamur lamento Pœnitentiæ, eò vberiorem diuinæ gratiæ fructum recipimus in ſpiritali refectione. Ex quibus Gregorij verbis clarè apparet requiri emũdationem per Pœnitentiam à peccatis quotidianis, ſeu venialibus ad dignam Euchariſtiæ ſumptionem.

§. XXVIII.

De præparatione neceſſaria ſecundùm D. Bernardum.

SAnctus Bernardus, aut quiſquis alius eſt auctor libri de modo benè viuendi cap. 28, aſſerit tamquam indubitatam veritatem, quod oporteat adimplere Chriſti voluntatem faciendo bona opera, priuſquam eius Corpus manducetur.

tur. Verba ſunt: Qui ergò Chriſti Corpus vult accipere, priùs ſtudeat in Chriſti fide, & dilectione manere. Hinc eſt, quòd ait Dominus in Euangelio: *qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in eo*; ac ſi diceret, ille in me manet, qui in bonis operibus voluntatem meam adimplet. Alioquin niſi priùs in me maneat per fidem, & bonam operationem, & ego in eo, Carnem meam manducare non poteſt, nec Sanguinem bibere.

§. XXIX.

De præparatione neceſſaria ſecundùm D. Thomam.

SAnctus Thomas in opuſculis de Sacramento Altaris cap 15. his paucis verbis complectitur omnem diſpoſitionem requiſitam ad dignè ſuſcipiendam Euchariſtiam: Si quis ad ſuſcipiendum Dominum benè mundus vult fieri; primò debet per aquam lachrymarum mundari; ſecundò per opera pœnitentiæ (id eſt, vt inferiùs explicat, per ieiunia, preces, afflictiones, & alia eiuſmodi) torqueri: tertiò per feruorem amoris Dei à carnalium deſideriorum humore ſiccari.

§. XXX.

§. XXX.

De præparatione neceſſaria ſecundùm S. Bonauenturam.

SAnctus Bonauentura in Breuil. parte ſexta, cap. 9. ita diſpoſitionem hanc exprimit: Quoniam capacitas noſtra ad Chriſtum ſuſcipiendum non eſt in carne, ſed in ſpiritu, non in ventre, ſed in mente; & mens Chriſtum non attingit, niſi per cognitionem, & amorem, per fidem, & charitatem; ita quòd fides illuminat ad recognitionem, vel recordationem, & charitas inflammat ad deuotionem: ideò ad hoc, quod aliquis dignè accedat, oportet quod ſpiritualiter comedat, vt ſic Chriſtum per recordationem fide maſticet, & per deuotionem amoris ſuſcipiat: per quæ non in ſe transformet Chriſtum, ſed ipſe potiùs traijciatur in eius myſticum corpus, propter quod manifeſtè colligitur, quòd qui tepidè, indeuotè, & inconſideratè accedit, iudicium ſibi manducat, & bibit; quia tanto Sacramento contumeliam facit; & ideò conſilium eſt his, qui ſe ſentiunt minùs mundos mente, vel carne, vel etiam indeuotos, vt differant, quouſque parati ad eſum veri Agni, mundi, deuoti, & circumſpecti accedant; propter quòd etiam hoc Sacramentum præceptum eſt celebrari cum ſolemnitate præcipua; tàm quan-

quantum ad locum, quàm etiam ad tempus, & quantum ad verba, & orationes,& quantum ad veſtimenta in celebratione miſſarum, vt tam ipſi Sacerdotes conficientes, quam etiam ſuſcipientes percipiant gratiæ donum, per quam purgentur, illuminentur, perficiantur, viuificentur, & in ipſum Chriſtum per exceſſiuum amorem ardentiſſimè transferantur..

§. XXXI.

Concluſio ex prædictis Patrum Teſtimonijs.

EX *his* omnibus Patrum teſtimonijs de præparatione neceſſaria ad Euchariſtiam per ſacram catenam continuæ Traditionis euidenter apparet, quod iuxta vnanimem conſenſum ſanctorum Patrum, quem ſacrum Concilium Tridentinum tàm frequentèr allegat, velut inuiolabilem,& irrefragabilem regulam; quod,inquam, per vitæ munditiam, per ſanctitatem actionum, per exercitium bonorum operum,per abnegationem corruptionis ſæculi,per vnionem cum Deo, & demum per ſtatum firmum, & immobilem in virtute Chriſtiana, homo iudicari debeat dignus Euchariſtia; ita vt fundamentũ generale omnium diſpoſitionum neceſſariarum ad communicandum cum fructu (ſecũdùm doctrinam Eccleſiæ) ſit viuere chriſtianè. Hinc debet

bet inchoari probatio ſui ipſius, quam ſanctus Paulus à nobis requirit, antequam hunc Panẽ Cæleſtem manducemus, ſcilicet examinando ſeriò vtrum veri Chriſtiani ſimus; vtrum mores noſtri correſpondeant noſtræ fidei; vtrum fidelitèr exequamur, quod in Baptiſmo promiſimus: vtrum diſcipuli Chriſti ſimus; vtrum veſtigia eius ſequamur, ſicuti nobis præcepit: & ſi contrarium deprehendamus, corrigendo noſtram vitã, mutando vitam, antequam ſumamus vitam, ſecundùm ordinationem Ambroſij, & ità allaborando, iuxta Bernardũ, vt Chriſtus in nobis maneat per fidem, & bona opera, vt poſſimus fructuosè Carnem eius manducare, & Sanguinem bibere.

§. XXXII.

De cura conſeruandi nutritionem Euchariſticam

Qui manducat hunc panem viuet in æternum. *Ioannis 6.*

QVandoquidem nutritio corporalis ſit imago nutritionis ſpiritalis, oportet vitam ſpiritalem eadem ratione conſeruare, qua conſeruatur vita corporalis: conſeruatur autem hæc vita abſtinendo ab ijs, quæ poſſunt illi nocere, & ſumendo ea, quæ poſſunt illi prodeſſe: & ſi nociua fuerint ſumpta, ijs expellẽdis adhibetur medici-

dicina; ſi verò ſalubria fuerint ſubtracta vſq; ad naturæ debilitatem, ea paulatim, & moderatè reſumuntur, donec natura priſtino vigori ſit reſtituta, & capax ſit largiorem cibum, & potum digerere, nec non frequentiorem.

Similiter conſeruanda eſt vita ſpritalis abſtinendo à peccatis,& proficiendo in virtutibus & ſi quis in virtute deferbuerit,paulatim ad feruorem ei redeundum eſt; ac pro ratione pœnitentiæ peractæ,& feruoris acquiſiti, Euchariſtia ſumenda,quæ præſeruat à peccatis,& nutrit feruorem charitatis; ideoque quo feruor magis creſcit, eò magis frequentanda Euchariſtia,iuxta illud Auguſtini; *Sic viue,vt quotidie merearis accipere*:decreſcente verò charitatis feruore, debet proportionaliter ſubtrahi;& ſi totaliter deſinat, omninò ſubtrahi debet, donec per medicinam pœnitentiæ feruor ille reducatur: quod multò magis verum eſt,ſi per peccatum mortale ipſa Charitas deperdatur:quia tunc non eſt,quod per Euchariſtiam nutriatur;quandoquidem ſolidus cibus non nutriat languentem, multò minus mortuum.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

De virtute Sacramenti Pœnitentiæ.

Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata. remittuntur eis,& quorum retinueritis, retenta ſunt. *Ioannis.* 20.

Poenitentia habet eandem vim ad remittenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa, quàm habet ipſe Baptiſmus ad remittendum peccata ante Baptiſmum cōmiſſa. Et tamen magna inter Baptiſmum & Pœnitentiam eſt differentia: per Baptiſmum enim Chriſtum induentes (vt loquitur Tridentinum) noua prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes: ad quam tamen nouitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ ſinè magnis noſtris fletibus,& laboribus, diuina id exigente Iuſtitia, peruenire nequaquam poſſumus: vt merito Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus à Sanctis Patribus dictus fuerit.

§. XXXIV.

De æſtimatione & reuerentia Sacramento Pœnitentiæ debita.

Oportebat Chriſtum pati, & reſurgere tertia die: & prędicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. *Lucæ* 24

QVia vero iuxta idem Tridentinum Sacramentum Pœnitentiæ relapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium eſt, vt nondum regeneratis ipſe Baptiſmus; ideò proſequendum eſt eadem veneratione qua Baptiſmus; imò quodamodò maiori, quia maior gratia fit relapſo, dum ei remittuntur peccata, propter maiorem indignitatem, & ingratitudinem, quàm nondum regenerato, dum Baptiſmus ei adhibetur: magiſque apparebit magnitudo huius æſtimationis & reuerentię ex ſequenti præparatione ad Sacramentū Pœnitentiæ à Sanctis Patribus requiſita.

§. XXXV.

§. XXXV.

De præparatione ad Sacramentũ Pœnitentiæ.

Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.... ſi pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis. *Lucæ* 13.

SIcuti rectè colligitur modus nutritionis ſpiritalis per comparationem ad modum nutritionis corporalis; ita rectè colligitur menſura ſanationis ſpiritalis ex praxi ſanationis corporalis. In hac autem ſanatione primò aduocatur Medicus: ſecundò vulnus aut morbus ei aperitur: tertiò remedium ab ipſo ordinatum aſſumitur; quarto non proditur in publicum, nec priſtinæ functiones exercentur, niſi ſanitate in integrum reſtituta, & habito deſuper iudicio Medici. Similiter ſancti Patres infra citandi ordinem in ſanatione ſpirituali peccatorum præſertim grauiorum, aut inueteratorum regulariter obſeruarunt, & per certos Canones dictos pœnitentiales obſeruari curarunt ſuis reſpectiuè in locis, ſucceſſiuè per duodecim ſæcula; vt primò peccator accederet Sacerdotem, eique vulnera ſua, ſeu morbum peccati detegeret, & remedium Pœnitentię ab ipſo peteret: ſecundò vt Sacerdos peccatori Pænitentiam imponeret: tertiò vt peccator pœnitens illam impleret: quartò vt Sacerdos pœnitentem, impleta pœnitentia abſque relapſu, abſolueret, ei-

que Corpus Chriſti præberet. Quam praxim intendo hic repreſentare, non eo fine, vt credatur neceſſaria ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, ſicuti nec credo, nec S S. Patres crediderunt, ſed vt & confeſſarij, & pęnitentes, qui fortè ignorant hunc antiquum vſum, diſcant non arguere nouitatis illos confeſſarios, qui quandoque differunt abſolutionem peccatoribus, quos iudicāt ad illam indiſpoſitos, vt interea per pœnitentias congruas illos diſponant, & diſpoſitos abſoluant. Quod autem hæc praxis fuerit probata, & in pretio habita à Romanis Pontificibus, ex tribus ſequentibus intelligi poteſt, Innocentio I. Leone, & Gregorio,

§. XXXVI.

Præparatio ad Abſolutionem Sacramentalem iuxta Innocentium Primum.

INnocentius primus Papa in ſua prima Epiſtola Decretali, quæ facit partem Iuris Canonici, ita loquitur de Pœnitentia: cæterùm de pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt iudicare, vt attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lachrymas corrigentis, & tum iubere dimitti: cum viderit congruam ſatisfactionem. Oportuit igitur ſecundùm hunc Papam, vt peccator huiuſmodi pręmitteret confeſſionem, deinde adderet fletus, & lachrymas,

ſeu

ſeu vera ſigna doloris, & emendationis: Et finaliter vt Sacerdos ei peccata dimitteret, cum vidiſſet congruã ſatisfactionẽ, quam regulariter videre non poterat, niſi differret illi abſolutionẽ.

§. XXXVII.

Præparatio iuxta Sanctum Leonem Papam.

SAnctus Leo Papa, Magnus appellatus, Epiſtola 91. ad Epiſcopum Theodorum ſic ait: Multiplex miſericordia Dei ita lapſibus ſubuenit humanis, vt non ſolùm per Baptiſmi gratiam ſed etiam per Pœnitentiæ medicinam, ſpes vitæ reparetur æternæ, vt qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe iudicio condemnantes ad remiſſionem criminum peruenirent, ſic diuinæ bonitatis præſidijs ordinatis, vt indulgentia, niſi ſupplicationibus Sacerdotum, nequeat obtineri: Mediator enim Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.

Vbi primo loco ponitur confeſſio: ſecundo ponitur actio pœnitentiæ impoſita à Sacerdotibus: tertio ponitur ſalubris ſatisfactio, qua debebant purgari, antequam ad Communionem

Sacramentorum admitterentur: quarto ponitur reconciliatio per abſolutionem, quæ eſt ianua reconciliationis.

§. XXXVIII.

Præparatio iuxta Sanctum Gregorium Papam.

SAnctus Gregorius Hom. 26. explicans hæc verba Euangelica, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, videndum eſt, inquit, quæ culpa præceſſerit, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam; vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſtoris ſententia abſoluat: tunc enim vera eſt abſolutio Præſidentis, cum æterni arbitrium ſequitur Iudicis.

Itaque iuxta S. Gregorium prædeceſſorum ſuorum veſtigijs inhærentem, vt Sacerdos pœnitentem abſoluat, requiritur primò, vt videat quæ culpa præceſſit: deinde quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam: tum vt abſoluat illum, quem videt gratia Dei compunctum: niſi enim per vera pœnitentiæ ſigna Sacerdoti conſtet de ſufficienti dolore pœnitentis, ſeu de compunctionis gratia, per quam viſitatus à Deo ſe diſponit ad gratiam reconciliationis in Sacramento obtinendæ, non erit legitima abſolutio Sacerdotis præſidentis.

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Rationes, quæ mouerunt Sanctos Patres ad exigendam Pœnitentiæ impletionem ante Abſolutionem Sacramentalem.

PRima & principalis ratio, quæ mouit Sanctos Patres, vt longo tempore per opera Pœnitentiæ affligerent, exercerent,& purgarent peccatores grauiores,aut inueteratos,antequam illos ad reconciliationem per abſolutionem admitterent, fuit violatio Baptiſmi,ſicut nos docet Tridentinum Seſſione 14. cap. 8. his verbis: Sanè & diuinæ Iuſtitiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint: aliter verò, qui ſemel à peccatis & dæmonis ſeruitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono ſcienter Templum Dei violarint,& Spiritum ſanctum contriſtare non formidauerint. Dixerat autem ſupra cap. 2. quòd ad nouitatem & integritatem Baptiſmalem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus,& laboribus, id diuina exigente iuſtitia, nequaquam peruenire poſſimus,vt meritò Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus à Sanctis Patribus dictus fuerit.

Vnde Auguſtinus prædicans felicitatem eorum, qui baptizantur in morte;& periculum eorum

rum, qui tantùm in morte Pœnitentiam agunt, ſic ait Hom. 41. Qui nondum accepit Baptiſmum, nondum violauit Sacramentum; qui autem violauit Sacramentum malè, & perditè viuendo,& ideò remotus eſt ab Altari,ne iudicium ſibi manducet, & bibat, mutet vitam,corrigat ſe & reconcilietur,cum viuit,dum ſanus eſt. Et infra: Ergò qui veraciter egerit Pœnitentiam, & ſolutus fuerit à ligamento, quo erat obſtrictus, & à Chriſti Corpore ſeparatus, quandocumque defunctus fuerit,ad Deum vadit.

Ex quibus Auguſtini verbis liquet,quod violato per peccatum baptiſmo,oporteat Pœnitentiam agere manendo à Corpore Chriſti ſeparatum.Idem Auguſtinus volens inculcare difficultatem laborioſi iſtius Baptiſmi,quæ pœnitentia nuncupatur, Epiſtola tertia ad Sympronianum ait:Labor iſte paucorum eſt,qui poſt caſum reſurgunt, qui poſt vulnera conualeſcunt, qui lachrymoſis vocibus adiuuantur, qui carnis interitu reuiuiſcunt. Idcircò Ambroſius libro 2. dePœnitentia cap.10.dicit(benè perpendendam ſententiam) Faciliùs inueni, qui innocentiam ſeruauerunt, quàm qui congruè egerint Pœnitentiam.

Altera ratio ex præcedenti conſequens, quæ mouit Sanctos Patres, vt longo tempore differrent abſolutionem criminum ſibi confeſſorum, fuit hæc: quòd crediderint omnem hominem qui à gratia excidit, & inferno dignus effectus

eſt

eſt, antè omnia debere adniti, vt ſecundùm ordinationem Sacerdotis, & precibus, & lachrymis, & omni genere bonorum operum flectat iram Dei, vt ſecundùm Innocentium congruam exhibeat illi ſatisfactionem; ſecundùm Leonem ſalubri ſatisfactione purgetur; vt denique iuxta Gregorium ſententia Paſtoris abſoluat, quem Omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat. Quod benè, inquit idem Gregorius infra, quatriduani mortui reſurrectio illa ſignificat, quæ videlicet demonſtrat, quia mortuum Dominus priùs vocauit, & viuificauit, dicens: *Lazare veni foras*: & poſtmodum is, qui viuens egreſſus fuerat, à Diſcipulis eſt ſolutus, ſicut ſcriptum eſt, *cumque egreſſus eſſet, qui fuerat ligatus inſtitis*, tunc dixit Diſcipulis: *ſoluite eum, & ſinite abire*. Ecce illum Diſcipuli iam viuentem ſoluunt, quem magiſter reſuſcitauerat mortuum: ſi enim Diſcipuli Lazarum mortuum ſoluerent, fœtorem magis oſtenderent, quàm virtutem. Ex qua conſideratione intuendum eſt, quòd illos debemus per Paſtoralem Auctoritatem ſoluere, quos Auctorem noſtrum cognoſcimus per ſuſcitantem gratiam viuificare.

Quæ verba S. Gregorij mutuatum eſt Concilium Aquiſgranenſe anno 816. ſub Stephano V. Pontifice habitum Canone 37. ad inſtruendos Epiſcopos, & Presbyteros in exercitio poteſtatis ligandi, & ſoluendi, quam à Chriſto acceperunt. Vndè S. Eligius Epiſcopus Nouiodu-

nenſis, qui vixit circiter centum annis ante iſtud Concilium, & centum poſt S. Gregorium, refert ex ipſo hunc locum integrum, vt exhortetur pœnitentes ſuos ad non petendam abſolutionem, niſi poſtquam fleuiſſent ſua peccata, mortui eſſent vitijs affectu, & eodem viuificati per ſuſcitantem gratiam Spiritus Sancti, ſi nondum inhabitantis, ſaltem mouentis. *Hom.* 11. ſic loquitur: Ad vos præterea nunc ſpiritualis noſter ſermo transfertur, quos ſub pœnitudinis habitu conſtitutos, facie ſqualida, & crine demiſſo peccamina veſtra planxiſſe, & vitia carnis in vobis mortificaſſe, quantum homini videre poſſibile eſt, conſideramus. Ante omnia autem vobis ſcire neceſſe eſt, quia licet impoſitionem manuum noſtrarum accipere cupiatis, tamen abſolutionem peccatorum veſtrorum conſequi non poteſtis, antequam per compunctionis gratiam Diuina Pietas vos abſoluere dignabitur: tunc enim (vt Beatus dicit Gregorius) vera eſt abſolutio pœnitentis, &c. Vide ſupra verba Gregorij.

Tertia ratio, quæ mouit Sanctos Patres, vt differrent abſolutionem, donec proportionata delictis Pœnitentia peracta eſſet, fuit; quia ſanatio ſpiritalis peccatoris de lege ordinaria non minori tempore indiget, quàm corporalis; imò maiori, quia vulnera, & morbi animæ ſunt grauiora vulneribus, & morbis corporis, & quidem tantò grauiora, quantò ſpiritus eſt nobilior corpore:

pore: idcircò S. Ambroſius in Pſalmum 118. dicit: Citò enim refricatur vulnus, quod ſanatum Medicinę lege non fuerit, imò ſeriorem curatio ſentit profectum: ideoque ſi virus in interiora proſerpit, medicamenta foris appoſita non ſentit. Exigit verò Medicinæ ratio, vt aut ſectione, aut aduſtione curetur: niſi enim putrefacta recidantur, aut humor inutilis decoquatur, fruſtra Medicinæ manus adhibentur ad vulnera. Ideoque bonus Medicus huiuſmodi ægrum legitimè dicit eſſe curandum, vt poſſit Medicina proficere. Lege ergò miſeretur, qui cum iuſtitia, ſapientiaque miſeretur, vt ea dimittat, quæ ſcit iure poſſe dimitti, ne cùm alterius miſeretur, ſeipſum legi faciat obnoxium. Conſideremus etiam ne & ipſum deteriorem faciamus, cuius miſeremur iniuſtè; plerumque enim non coërcere delinquentes maioris auſteritatis eſt, quàm ſi vlciſcaris. Traduntur enim in paſſiones ignominiæ, qui cùm aliquid inhoneſtum fecerint, nullum culpæ pretium ferunt.

Et lib. 2. de Pœnitentia cap. 10. ſic ait: Vſus doloris ablegat luxuriam criminis, erroris delicias. Ita dum dolemus admiſſa, admittenda excludimus, & fit quædam de condemnatione culpæ diſciplina innocentiæ.

Bernardus Epiſt. 8. ad Brunonem obijcit ſibi quod ſolent obijcere peccatores confitentes, cõtra dilationem abſolutionis ſcilicet: Sed quid ſi ſuam Deus acceleret gratiam, & multiplicet

mi-

miſericordiam; & ſit ad reſtituendam innocentiam efficacior velox clementia, quàm diuturna Pœnitentia? deindè adducit exempla huius ſubitæ conuerſionis, & remiſſionis peccatorum, dicens: Hoc ſalutis compendium Sanctus ille Latro conſecutus eſt vno, eodemque die, ſimul & confeſſus latrocinia, & introductus in gloriã, breui quodam contentus ponte crucis ad tranſigendum de regione diſſimilitudinis in terram viuentium, & de luto fæcis in Paradiſum voluptatis. Hoc ſubitum Pietatis remedium percepit felix illa peccatrix, cùm repentè vbi ſuperabundauerant delicta, abundare cœpit & gratia. Abſque multo pœnitentiæ labore dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum, & in breui meruit accipere charitatis latitudinem, quæ, vt ſcriptum eſt, cooperit multitudinem peccatorum. Hoc & ille Paralyticus in Euangelio duplex atque celerrimum potentiſſimæ bonitatis perſenſit beneficium, priùs mente, quàm carne curatus.

Verùm hæc & ſimilia, non tam exempla, quam miracula, quæ de lege ordinaria non ſunt expectanda; ſed potiùs iuxta leges Medicinæ remedia pœnitentibus, proportiònata eorum peccatis, ſunt adhibenda, donec pœnitentia fuerit matura, & perfecta.

Ad aliam obiectionem, quam ſolent multi facere, dum ipſis ſua peccata confeſſis, ſimilem ob cauſam nunc differtur abſolutio, ſcilicet non

poſſe

poſſe ſibi negari abſolutionem, quia poſuerunt partes Sacramenti Pœnitentiæ ex parte ſua prærequiſitas ad abſolutionem, nimirùm dolorem de peccatis cum propoſito non peccandi de cætero, & confeſſionem: ita reſpondet Gregorius libro 6. in caput 15. lib. 1. Regum. Quid prodeſt confiteri flagitia, ſi confeſſionis vocem non ſequitur afflictio Pœnitentiæ? tria quippe in vnoquoque conſideranda ſunt veraciter pœnitente, videlicet conuerſio mentis, confeſſio oris, & vindicta peccati (nota, vindicta peccati) nam qui corde non conuertitur, quid prodeſt ei, ſi peccata confiteatur? vnde & ſalubriter confiteri volentibus Scriptura innuit dicens, corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Quid eſt corde credere ad iuſtitiam, niſi voluntatem dirigere ad fidem per dilectionem operantem? cùm ergò quis cordis intentionem ad iuſtitiam per amorem dirigit, per initium bonæ voluntatis fructum habet bonæ conuerſionis. Hic certè iam ad ſalutem confitetur. ... Tertia ergò ſpecies, id eſt, vindicta, quaſi medicina neceſſaria eſt, vt apoſtema reatus, quod conuerſione compungitur, confitendo purgetur, afflictioniſque medicina ſanetur. Signum ergò verè confeſſionis non eſt in oris confeſſione, ſed in afflictione pœnitentiæ. Tunc namque benè conuerſum peccatorem cernimus, cùm digna afflictionis auſteritate delere nititur, quod loquendo confitetur: Vndè Ioannes Baptiſta ma-

lè

lè conuerſos Iudæos ad ſe confluentes increpans ait: *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? facite ergò dignos fructus pœniientiæ.* In fructu ergò, non in folijs, aut ramis Pœnitentia cognoſcenda eſt: quaſi arbor quippè bona voluntas eſt. Confeſſionis ergò verba quid ſunt aliud, niſi folia? non ergo nobis folia propter ſeipſa, ſed propter fructum expetenda ſunt; quia idcircò omnis confeſſio peccatorum recipitur, vt fructus Pœnitentiæ ſubſequatur: vnde & Dominus arborem folijs decoram, fructu ſterilem maledixit; quia confeſſionis ornatum non recipit ſine fructu afflictionis: Hucuſqne Gregorius.

Et quia tales peccatores pœnitere incipiẽtes feſtini ad abſolutionem dicere ſolent, vt imponatur ipſis Pœnitentia congrua, & quod animo parati ſint illam implere, hocque ſufficere ad abſolutionem; poteſt meritò ipſis regeri illud eiuſdem Gregorij Paſtoralis parte prima cap. 9. Sæpè ſibi de ſe mens ipſa mentitur, fitque vt aliud in imis intentio ſupprimat, aliud tractantis animo ſuperficies cogitationis oſtendat, & fingit ſe de bono opere amare, quod non amat; de mundi autem gloria non amare, quod amat.

Et ſanè huius mendacij, quo mentitur iniquitas ſibi, frequens, & penè quotidianum habemus exemplum: nam nobis Confeſſarijs ordinariè contingit, quòd dum nimis citò abſolutionem damus, peccatores inueterati nec Pœniten-

nitentiam agant, & in peccata ſua maiori cum ruina relabantur. Et quamuis tales ſtatim à peccato commiſſo, vel ſaltem cùm confitentur, eſſent verè contriti, & apud Deum iuſtificati, nos qui de externis tantùm iudicamus, eos de lege ordinaria, quam per traditionem Sanctorum Patrum accepimus, & experientia quotidiana comprobatam habemus, abſoluere non poſſumus, niſi poſt condignam Pœnitentiam iuſto tempore peractam, & detegamus veritatem conuerſionis ipſorum, & inſtar bonorum Medicorum præcaueamus ipſorum relapſum per plenam vulnerum curationem, non quidem ſic vt ſit obducta cicatrix, ſed vt abſit morale periculum proximi relapſus in conſueta crimina.

Hinc pro Coronide huius tertiæ rationis, ob quam Patres abſolutionem diſtulerunt, adiungo excellentem Epiſtolam Iuonis Carnotenſis Epiſcopi, qui ſæculo 12. vixit (vt per hoc oſtendatur, hanc praxim differendæ abſolutionis tunc temporis fuiſſe in vſu per totam Eccleſiam) in qua ſic reſpondet cuidam Sacerdoti, qui ab ipſo quæſierat, cur Eccleſia eſſet lentior in remittendis peccatis, quàm Chriſtus? Quærit fraternitas tua, quomodò inter ſe conueniant prophetica ſententia, quæ dicit in quacumque hora peccator ingemuerit, ſaluus erit: & Synodalis, quæ crimina ſua confitentes aliquamdiù à Corporis, & Sanguinis Chriſti communione ſuſpendit. Repugnare tibi videntur,

tur,diſſentireque ſententiæ Capitis, & Corporis, vt quos Caput, id eſt Chriſtus, celeriter à peccato liberat, eos Corpus Chriſti, id eſt Eccleſia, ſub pœna peccati diu ligatos retineat. Quæ quæſtio facilè ſoluitur, ſi interni Iudicis animaduerſio, & humanæ fragilitatis conſideratio diligentiùs attendatur. Cum enim criminalis culpa delinquentem ſeparet à Capite & à Corpore, rationis ordo hoc exigit, vt internus Iudex tanto remittat celeriùs, quantò ſolus magis videt interiùs. Iudex verò qui tantùm videt in facie vſque adeò delinquentes ſub peccati pœna detineat, donec per manifeſtum Pœnitentiæ fructum, qui ſit pœnitentis affectus intelligat: per internum enim gemitum ſatisfit interno Iudici; & idcircò indilata datur ab eo peccati remiſſio, cui manifeſta eſt interna conuerſio: Eccleſia verò, quia occulta cordis ignorat,non ſoluit ligatum,licet ſuſcitatum, niſi de monumento elatum, id eſt, publica ſatisfactione purgatum. Hinc eſt quod Eccleſia ſua crimina confitentes à Sacramentorum communione ſuſpendit,& in cinere,& in cilicio poſitos ab introitu Eccleſiarum ſtatuto tempore excludit,vt per hoc experiatur, ſi iam ſunt intùs viuificati, cum fuerint longa pœnitentiæ maceratione probati. Si hæc attendat fraternitas tua, videbis non diſſentire Propheticam, & Synodalem ſententiam; cùm illa deferat, quod ſuum eſt capiti, & iſta concedat, quod ſuum eſt Corpori

pori. In diſcretione tamen Epiſcoporum eſt, ſecundùm affectum Pœnitentiæ tempus abbreuiare, vel prolongare, dicente Beato Auguſtino: In actione Pœnitentiæ, pro qua reus ab Altari ſeparandus eſt, non adeò conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris

Quarta ratio, quæ mouit Sanctos Patres ad differendam abſolutionem eſt preparatio ad Eucharistiam, de qua ſupra. Vnde Ambroſius in Pſalmum 118. in hæc verba, *Miſerere mei ſecundum eloquium tuum*, ait: In ipſa Eccleſia vbi maximè miſereri decet, teneri quàm maximè debet forma iuſtitiæ, ne quis à communionis conſortio abſtentus, breui lachrymula, atque ad tempus parata, vel etiam vberioribus fletibus Communionem, quam plurimis debet poſtulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat.

Et quia ſolent peccatores, qui iudicantur indiſpoſiti ad abſolutionem, vrgere Confeſſarios ſuos ipſiſq; iraſci dum eis abſolutionē & communionem negant, donec condignam delictis ſuis pœnitentiam egerint, dicit Cyprianus de lapſis; Vis infertur Corpori eius (nempe Christi) & Sanguini. Quod non ſtatim Domini Corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini Sanguinem bibat, Sacerdotibus ſacrilegus iraſcitur. . . . . Quid cœci oculi Pœnitentiæ iter non vident, quod oſtendimus? Et Clerus Romanus ad Cyprianum Epiſt. 31. Non ſit minor medicina quam vulnus eſt. Cyprianus verò ad

Cor-

Corneliū Epiſt. 55.oſtendens quanta Sacerdotis conſtantia eſſe debeat, vt neminem recipiat ad communionem Eccleſiæ,niſi per lamenta Pœnitentiæ,dicit:Si qui ſunt,qui putant ſe ad Eccleſiam non precibus, ſed minis regredi poſſe: aut exiſtimant aditum ſibi non lamentationibus,aut ſatisfactionibus, ſed terroribus facere,pro certo habeant contra tales cluſam ſtare Eccleſiam Domini,nec caſtra Chriſti inuicta, & fortia, & Domino tuente munita, minis cedere. Sacerdos Dei Euangelium tenens, & Chriſti Precepta cuſtodiens, occidi poteſt, non poteſt vinci.

Et Clerus Romanus ad Cyprianum Epiſt. 31. Abſit enim ab Eccleſia Romana vigorem ſuum tàm profana facilitate dimittere, & neruos ſeueritatis, euerſa fidei maieſtate, diſſoluere: vt cùm adhuc non tantùm iaceant, ſed & cadant euerſorum fratrum ruinæ,& properata nimis remedia communicationum, vtique non profutura præſtentur,& noua per miſericordiam falſam vulnera veteribus trangreſſionis vulneribus imprimantur,vt miſeris ad euerſionem maiorem eripiatur & Pœnitentia. Ne vero Sacerdotes abſolutionem differentes obmuteſcant, obloquente perperam peccatore, ad manum eſt illud Cypriani ad Cler. Epiſt, 14.ex Apocalypſi deſumptum: *Memento vndè decideris,& age pœnitentiā.* Pœnitentiam autem ille agit, qui diuinis Præceptis mitis & patiens,& Sacerdotibus Dei obtemperans,obſequijs ſuis & iuſtis operibus Dominum promeretur.

§. XL.

§. XL.

Aliquot Obiectiones, quæ fiunt contra prædictam Pœnitentiæ praxim.

OBIECTIO I.

PRæter obiectiones contra iam allegatam Eccleſiæ praxim ſuperiùs factas, ſolent adhuc aliæ fieri, quarum vna eſt: *Quid ſi morerer non abſolutus?* ad quam ita reſpondet S. Proſper in ſententijs ex lib. 3. de libero arbitrio cap. 10. Quid tam dignum miſericordia, quàm miſer? & quid tam indignum miſericordia, quam ſuperbus miſer? quaſi diceret, qui ſe Confeſſario ſubmittit peccator, miſericordiam accipere dignus eſt: qui verò ſe non ſubmittit, quia ſuperbus, eſt miſericordia indignus.

Vt autem confidentiam de ſua ſalute habeãt peccatores in Pœnitentia morientes, antequam abſolutionem à Sacerdote acceperint, poteſt illis proponi id, quod in diuerſis Eccleſiæ Concilis definitum eſt: nam in Concilio Carthaginenſi 4. cap. 79. ita habetur: pœnitentes qui attentè leges Pœnitẽtię exequuntur, ſi caſu in itinere, vel in mari mortui fuerint, vbi eis ſubueniri non poſſit, memoria eorum, & orationibus, & oblationibus commendetur. Item in Concilio Arelatenſi 2. Can. 13. dicitur de his, qui in Pœniten-

tia poſiti vitam exceſſerunt; Placuit nullum cõmunione Eccleſiæ vacuum debere dimitti, ſed pro eo, quod honorauit Pœnitentiam, oblatio illius recipiatur. Item in Concilio Vaſenſi ſub Leone I. cap. 2. dicitur: Pro his, qui Pœnitentia accepta in bonæ vitæ curſu ſatisfactoria compunctione viuentes, ſine communione, inopinato nonnumquam tranſitu in agris aut itineribus præueniuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera ac deinceps memoriam Eccleſiaſtico affectu perſequendam: quia nefas eſt eorum commemorationes excludi à ſalutaribus ſacris, qui ad eadem ſacra fideli affectu contendentes, dum ſe diutius reos ſtatuunt, & indignos ſalutiferis myſterijs iudicant, ac dum purgatiores inſtitui deſiderant, abſque Sacramentorum viatico intercipiuntur, quibus fortaſſè nec abſolutiſſimam reconciliationem Sacerdos denegandam putaſſet. Quibus accedit Ambroſius de obitu Valentiniani, quj catechumenus mortuus erat, oſtendens, quod Deus ſupra Sacramenta exiſtens ſine Sacramẽtis ſaluare poſſit. Verba ſunt: Audio vos dolere quod non acceperit Sacramenta Baptiſmatis: dicite mihi quid aliud in nobis eſt, niſi voluntas, niſi petitio? atque etiã dudum hoc votum habuit, &c. non habet ergo gratiam, quam deſiderauit? non habet, quàm popoſcit? & quia popoſcit, accepit Et vbi illud eſt. Iuſtus quacumque morte præuentus fuerit, anima eius in refrigerio erit?... an quia ſolemniter

non

non ſunt celebrata myſteria, hoc mouet? ergo nec Martyres, ſi Catechumeni fuerint, coronentur, ſi non initiantur. Quod ſi ſuo abluantur ſanguine, & hunc ſua pietas abluit & voluntas: nec nos quidem dubitamus de meritis Valentiniani; ſed iam credamus vel teſtimonijs Angelorum, quod deterſa labe peccati ablutus aſcendit, quem ſua fides lauit, & petitio conſecrauit.

Idem dici poteſt de pœnitente veraciter, & moriente priuſquam abſolutionis Sacramentũ acceperit, quod eum ſua fides reconciliauit, & ſaluauit.

Accedat Magiſtro ſuo Diſcipulus Auguſtinus, qui contra Donatiſtas lib 4.cap.24. probat nec Baptiſmum (ac proindè nec abſolutionis Sacramentum) ſimpliciter eſſe neceſſarium ad ſalutem, nec è contra bonam voluntatem abſolutè eſſe neceſſariam, ſed quandoq; Baptiſmum ſine illa ſufficere, v. g. in paruulis, & illam ſine Baptiſmo ſufficere, vt in Catechumenis, vel alijs adultis in fide abſque Baptiſmo ſaluatis. Verba ſunt: Sicut in illo Latrone, quod ex Baptiſmi Sacramento defuerat, compleuit Omnipotentis benignitas, quia non ſuperbia, vel contemptu, ſed neceſſitate defuerat; ſic in infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia Omnipotentis implere credenda eſt, quòd non ex impia voluntate, ſed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad iuſtitiam poſſunt, nec ore confiteri. Et cap. 25. addit: Quibus rebus om-

nibus oſtenditur aliud eſſe Sacramentum Baptiſmi, aliud conuerſionem cordis, ſed ſalutem hominis ex vtroque compleri; nec ſi vnum horum defuerit, ideò putare debemus conſequens eſſe, vt alterum deſit, quia & illud ſine iſto poteſt eſſe in infante, & hoc ſine illo potuit eſſe in Latrone, complente Deo ſiue in illo, ſiue in iſto, quod non ex voluntate defuiſſet: cùm verò ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem inuolui.

Ex quibus & Conciliorum Decretis, & Sanctorum Patrum dogmatibus liquet, ſufficere ad ſalutem, quandoque ſolum Sacramentum, non exiſtente copia voluntatis, & ſufficere ſolam voluntatem efficacem conuerſionis, non exiſtente copia Sacramenti; ideoque hanc obiectionem, *Quid ſi morerer non abſolutus*? fundatam non eſſe, dum fit à peccatore contra Confeſſarium, qui vult iuſtis de cauſis Pœnitentiam impleri antequam det abſolutionem: vel enim peccator efficaciter intendit conuerti, vel non: ſi efficaciter intendit conuerti, Pœnitentiam implebit, & ſi moriatur ante abſolutionem ſola voluntate efficaci conuerſionis ſaluabitur: ſi non intendit, abſolutio ipſi oberit, quia ad illam non eſt diſpoſitus; ſicque addet peccatis ſuis ſacrilegium, ſeu Sacramenti profanationem ad maiorem ſui damnationem.

§. XLI.

§. XLI.

OBIECTIO II.

ALtera obiectio, quæ poteſt fieri præcipuè à doctis, eſt hæc: *Benè abſoluitur quilibet peccator in articulo mortis petens pœnitentiæ Sacramentum abſque præuia probatione, cur non ſimilitèr abſoluitur quilibet corpore ſanus cùm ſolo propoſito Pœnitentiæ?* Nam ſi Pœnitentia eſt neceſſariò prærequiſita ad abſolutionem, non deberet abſolui moribundus, qui non egit Pœnitentiam in vita ſua: ſi autem non eſt abſolutè prærequiſita, videtur, quod etiam ſanus ſemper abſolui debeat antè impletam Pœnitentiam cum ſolo propoſito illam implendi.

Ad quam obiectionem reſpondeo, dicendo, quòd in Eccleſia primis trecentis annis practicatum fuerit, vt negaretur abſolutio, & communio in articulo mortis ijs, qui poſt vitam perditè actam non egerant Pœnitentiam, & tantùm ratione infirmitatis, ac periculi mortis petebant Sacramentum Reconciliationis; ità enim Cyprianus Epiſt. 50. ad Antonianum ait: Pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omninò cenſuimus à ſpe communicationis, & pacis, ſi in infirmitate, atque pericu-

lo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti Pœnitentia, ſed mortis vrgentis admonitio compellit, nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitauit eſſe moriturum. Et Concilium Arelatenſe primum habitum anno Domini 314. (vocaturque à ſecundo Arelatenſi Magna Synodus, quia ex omnibus mundi partibus congregata) ſic loquitur Can. 18. & 24. De his, qui apoſtatant, & antequam ſe ad Eccleſiam repræſentent, nec quidem Pœnitentiam agere quærunt, & poſtea infirmitate correpti petunt Communionē, placuit eis non dandam Communionem, niſi reualuerint, & egerint fructus dignos Pœnitentiæ.

Centum circiter annos poſt illud Concilium Exuperius Epiſcopus Tholoſanus conſuluit Innocentium I. Papam, quid agendum foret cum illis, qui poſtquam totam vitam conſumpſerunt in incontinentia, petunt Pœnitentiam, & ſimul reconciliationem: cui ſanctus ille Pontifex Epiſt. 3. ſic reſpondet: Et hoc quæſitum eſt, quid de his obſeruari oporteat, qui poſt Baptiſmum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo vitæ ſuæ Pœnitentiam ſimul, & reconciliationem communionis expoſcunt: de his obſeruatio prior, durior: poſterior interueniente miſericordia inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, vt concederetur Pœnitentia, ſed communio negaretur,

tur, &c. ſed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſijs ſuis reddidit, iam depulſo terrore communionem dari obeuntibus placuit,& propter Domini miſericordiam quaſi viaticum profecturis, & ne Nouatiani hæretici, negantis veniam, aſperitatem, & duritiam ſubſequi videamur.

Ex quibus Innocentij verbis apparet rigorem Eccleſiæ ex tunc fuiſſe mitigatum ob rationes ab ipſo allegatas; & quòd detur quidem abſolutio, & communio quibuſcumque peccatoribus baptizatis, illam in articulo mortis petentibus, & dantibus ſigna pœnitentiæ: ſed quàm parùm confidentiæ, aut ſecuritatis poſuerit, & pònat Eccleſia in tàm ſubitis reconciliationibus ex neceſſitate, & vi quadam præcipitatis, ſatis indicat Auguſtinus Hom. 41. his verbis: Dico in conſpectu Dei timori veſtro timorem meum. Qui autem non timet, timentem me contemnit, ſed malo ſuo. Audi ergò: Certus ſum, quia homo baptizatus, ſi vitam, non audeo dicere, ſine peccato, quis enim ſine peccato? ſed vitam ſine crimine duxerit, & alia peccata habuerit, quæ quotidiè dimittuntur in oratione dicenti: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: quando vitam finierit, vitam non finit, ſed tranſit de vita in vitam, de laborioſa ad quietam, de miſera ad beatam...: baptizatus autem deſertor, & violator tanti

myſterij, ſi agat Pœnitentiam ex toto corde, ſi egerit veracitèr Pœnitentiam, & ſolutus fuerit à ligamento, quo erat obſtrictus, & à Chriſti Corpore ſeparatus, & benè poſt Pœnitentiam vixerit, ſicut antè Pœnitentiam viuere debuit, poſt reconciliationem quandocumque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non priuabitur, à populo diaboli ſeparabitur. Si quis autem poſitus in vltima neceſſitate ægritudinis ſuæ, voluerit accipere Pœnitentiam, & accipit, mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus, quod petit, ſed non præſumimus; quia benè hinc exit. Non præſumo, non vos fallo, non præſumo. Fidelis benè viuens, ſecurus hinc exit. Baptizatus ad horam ſecurus hinc exit. Agens Pœnitentiam, & reconciliatus cùm ſanus eſt, & poſteà viuens benè, ſecurus hinc exit. Agens Pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus. Vnde ſecurus ſum, ſecurus ſum; & do ſecuritatem: vndè non ſum ſecurus, Pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum: vis te de dubio liberare? age Pœnitentiam dum ſanus es . . . . . . tene certum, dimitte incertum.

Vt autem conſtet, quod hic timor Sanctorum Patrum de ſalute eorum, qui poſt vitam perditè actam tantùm in articulo mortis conuertebantur, proueniret ex hoc, quod non habe-

berent comites pœnitentiæ fructus, audiatur idem Auguſtinus ſerm.57. de tempore, vbi ait: Ego vos, dilectiſſimi fratres, hortor, atque commoneo, vt ſi quis ex vobis conſcius criminum ſuorum, indignum ſe communione Eccleſiaſtica putat, dignum ſe eſſe faciat. Dicitis, quomodò aliquis dignum ſe facere poſſit? quomodò, niſi errores priſtinos relinquat, & Pœnitentiam petat, & qui criminum ſuorum ſorde pollutus eſt, exomologeſis ſatisfactionē mundetur? nec illud ſeruet, vt in extremo vitę ſuæ tempore tunc Pœnitentiam petat, quandò iam agere non poſſit: inutilis eſt enim, dilectiſſimi, iſta perſuaſio. Parum eſt peccatorem pęnitere, niſi Pænitentiam peregerit. Ad emendanda enim crimina vox pęnitentis ſola non ſufficit: nam in ſatisfactione ingentium peccatorum non verba tantùm, ſed opera quæruntur. Datur quidem etiam in extremis Pęnitentia, quia non poteſt denegari; ſed auctores tamen eſſe non poſſumus, quòd ſi ſic petierit, mereatur abſolui. Quomodò enim agit pœnitentiam lapſus? quomodò agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus conſtitutus? quomodò Pœnitentiam agere poſſit, qui nulla iam pro ſe opera ſatisfactionis operari poteſt? & ideò pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt: Pœnitentia, quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne ipſa moriatur: & ideò, dilectiſſimi, quicumque inuenire vult miſericor-

diam

diam Dei, ſanus agat pœnitentiam in hoc ſæculo, vt ſanus eſſe valeat in futuro.

Fauſtus Regiēſis Epiſcopus Epiſt. ad Bened. Caulinum perpendens ordinariam pœnitentiæ legem, & non extraordinariam diuinæ miſericordiæ benignitatem, nihil ſperare videtur de inueteratorum peccatorum cōuerſionibus, quæ demum fiunt in articulo mortis, ait enim: Inimica perſuaſione mentitur, qui maculas longa ætate contractas ſubitis, etiam inutilibus, abolendas gemitibus arbitratur. Quo tempore confeſſio eſſe poteſt, ſatisfactio eſſe non poteſt: nam quia Deus non irridetur, ipſe ſe decipit, qui mortem multis temporibus vixit, & ad quærendam vitam iam ſemiuiuus aſſurgit, vt tunc officioſus appareat, quandò Dominicæ ſeruituti omnia corporis, & animæ ſubtrahuntur officia. Circa exequendam interioris hominis ſanitatem, non ſolùm accipiendi voluntas, ſed agendi exſpectatur vtilitas: ità enim legimus; Si, inquit peccator pœnitentiam egerit pro peccatis ſuis (egerit, memorauit; non ſolùm dixit, acceperit) in ſua, inquit, iuſtitia, quam operatus eſt, viuit. Aduertis, quòd huiuſmodi medicina ſicut ore poſcenda, ita opere conſummanda eſt. Inſultare Deo videtur, qui illo tempore ad Medicū noluit venire, quo potuit: & illo tunc incipit velle, quo non poteſt. Opus itaque eſt, vt quàm in peccando fuit abrupta, & vegeta ad malum mentis intentio, tan-

tanta ſit in vulnerum curatione deuotio.

Et ſanè qui tota vita manſit in peccato, non agendo Pœnitentiam debitam pro illo, non videtur deſerere peccatum, dum apparenter Pœnitens moritur,ſed deſeri à peccato iuxta illud Auguſtini in Hom.41. Quare ſecurus es? quia egiſti Pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuiſti: ſi autem tunc vis agere Pœnitentiam ipſam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.

Quòd verò Eccleſia nō niſi coacta det abſolutionem, & communionem illis moribundis, qui in vita non egerunt Pœnitentiam, declarāt ſequentia Concilia Carthaginenſe Can.78.ait: Pœnitentes,qui in infirmitate viaticum Euchariſtiæ acceperint, non ſe credant abſolutos ſine manus impoſitione (ſcilicet in facie Eccleſiæ cum reliquis pœnitentibus poſt peractam Penitentiam) ſi ſuperuixerint. Arauſicanum primum Can.3. inquit: Quòd ſi ſuperuixerint, ſtent in ordine penitentium, vt oſtenſis neceſſarijs Pęnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant. Carthaginenſe quartum Cap.76.ſic dicit: Si ſuperuixerit, admoneatur à ſupradictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis Pęnitentię legibus, quādiù Sacerdos, qui Penitentiam dederit, probauerit.

Nihilque magis conuincit neceſſitatem peractæ Pęnitentiæ in vita ad ſecurum tranſitum

ex

ex hoc mundo, quàm quòd Sancti Patres intercederent pro reis apud Iudices ſæculares, vt ipſis Poenitentiæ tempus concederent, antequã illos ad mortem condemnarent: vndè Auguſtinus Epiſt. 54 ad Macedonium interrogantẽ, cur Epiſcopi ſupplicia reorum differri peterent, reſpondet: Nullo modo culpas, quas corrigi volumus, approbamus, nec quod perperam committitur, ideò volumus impunitum eſſe, quia placet, ſed hominem miſerantes, facinus autem ſeu flagitium deteſtantes, quantò magis nobis diſplicet vitium, tantò minus volumus inemendatum perire vitioſum. Morum porro corrigendorum nullus alius, qaàm in hac vita, locus eſt: nam poſt hanc vitam, quiſque id habebit, quod in hac ſibimet conquiſierit. Ideò compellimur humani generis charitate, interuenire pro reis, ne iſtam vitam ſic finiant per ſupplicium, vt non poſſint finire ſupplicium.

Ex quibus auctoritatibus manifeſtũ eſt, quòd abſolutio, & communio daretur peccatoribus moribundis, qui non egerant poenitentiam in vita ſua, ſicut datur ipſis extremum remedium corporale, quando deſperati ſunt, vt ſcilicet valeat, quantum valere poteſt. Vnde non poteſt concludi ex hac veteris Eccleſiæ praxi, quòd quibuſcũque peccatoribus corpore ſanis oporteat dare abſolutionem à peccato mortali ante peractam debitam poenitentiam, quando iudicatur præmittenda ad detegendam veritatẽ

con-

conuerſionis ipſorum, ſicut Medici corporales non adhibent extrema remedia, niſi in extremo periculo.

§. XLII.

OBIECTIO III.

OBijcitur etiam: *Quod ſi hæc ita ſe habent, cur ergo Eccleſia moderna non curat practicari pœnitentiam pro quolibet peccato mortali ante abſolutionem?* Ad quam obiectionem reſpondetur; Eccleſiam in nullo Concilio vniuerſali, aut particulari approbaſſe, nec generatim improbaſſe velut intrinſecè malam praxim mox abſoluendi poſt confeſſionem criminum, nulla præuiè ab abſolutionem facta pœnitentia: ſed refrigeſcente paulatim charitate, & relaxato antiquo rigore diſcretioni Confeſſariorum reliquiſſe, vt impenderent abſolutionem ijs confitentibus, de quorum contritione ipſis ſufficienter conſtat etiam ante impletam pœnitentiam; ſic tamen vt ſi non conſtet de illa ſufficienter etiam nunc abſolutionē differant, vt interim magis probent diſpoſitionē pœnitentis: quod nempè ſatis apparet ex Cōcilio Lateranenſi ſub Innocentio tertio, cuius Canon pro Communione Paſchali hucuſque ſeruatur, & incipit: *omnis vtriuſque ſexus*, &c. in quo dicitur: Suſcipiat reuerenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi fortè de conſilio proprij Sacerdotis ob aliquam ratio-

na-

nabilem cauſam ad tempus ab eius perceptione duxerit abſt nendum. Ex qua vltima particula, niſi fortè, &c. ſatis indicatur Eccleſiæ voluntas, qua vult, vt Pœnitentia, quæ eſt maximè rationabilis cauſa differendi Communionem Paſchalem (ſaltem dum de diſpoſitione pœnitentis non ſatis conſtat) eam ex iudicio Sacerdotis præcedat, vt eo certius à crimine purgentur. Sicut Iudæi, qui inueniebantur immundi in Paſchate, differebant eſum Agni Paſchalis, qui erat tantum figura noſtri Paſchæ, ad vnum menſem vltra, vt haberent tempus purgationis præuiæ.

Hinc Petrus Bleſenſis, qui parùm ante iſtud Concilium ſcripſit de obligatione fidelium ad Communionem, ita loquitur ſermone 16. In prima Eccleſia quotquot intererant conſecrationi Euchariſtiæ, communicabant eidē, &c. poſt quam autem creuit numerus fidelium, nec omnes accedere ad Euchariſtiam viſum eſt: ſtatutum eſt, vt ſaltem diebus Dominicis fideles cõmunicarent. Cum verò paleæ ſupercreſcentes cœperunt cooperire grana, & multorum refriguit Charitas, & creuit inquitas, & perpauci inuenti ſunt idonei, qui calicem ſalutaris acciperent, decretum eſt, vt ſaltem per tres ſolemnitates in anno fideles communicarent. In Paſcha, Pentecoſte, & Natali. Nunc autem quoniam dies mali ſunt, & omnes ferè declinauerunt, & inutiles facti ſunt: non audeo dicere ex præce-

pto

pto Eccleſiæ (quod tempore Petri Bleſenſis non erat) ſed ex tacita permiſſione ipſius introductum eſt vt ſemel in anno congregentur in Eccleſia ad communicandum, quod præterire fas non eſt; ut ſicut ea die filij Iſrael typicum Agnum comedebant perpetuò. & eadem die Dominus Diſcipulis ſuis Carnem ſuam & Sanguinem dedit, & in memoriam ſui idipſum faciendum commendauit, ita & nos eadem die carnem Agni, qui tollit peccata mundi, edamus.

Et quia ratio, cur Communio paulatim minùs ac minùs fuerit frequentata, fuit refrigeſcẽtia charitatis, & relapſus in crimina, propter quæ agenda erat Pœnitentia, dicit idem Petrus Bleenſis in quodam ſermone diei Cinerum, quòd confeſſio debeat incipere cum ieiunio, & quod non oporteat differre confeſſionem criminum vſque ad finem Quadrageſimæ, quando ſola venialia ſunt cõfitenda, quia ſupponuntur crimina, id eſt peccata mortalia, per ieiunium quadrageſimale abolita. Eius verba ſunt: Cum initio ieiunij debet eſſe initium confitendi; vnde in fine Quadrageſimæ de ablutione pedum Diſcipulorum legitur, vel dicitur: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus*: non dixit qui lauandus eſt, ſed lotus, nec dixit, niſi vt faciem & pedes lauet, ſed tantum pedes. Ac ſi dicat: In principio ieiunij debet quis criminalia peccata lauare, purè & humiliter confiteri: in fine venialia, quæ contraxit.

Et Sanctus Thomas in opuſculis de ſancto Sacramento cap. 16. dicit. Hinc ſtatuti ſunt ante Paſcha quadraginta dies Pœnitentiæ, vt his peractis in ieiunijs, & orationibus, & continentia, & bonis operibus, tunc poſſint communicare Pœnitentes cum alijs bonis Chriſtianis; relinquens ſubintelligi quòd nõ poſſint communicare, niſi iſta egerint. Quod etiam maniſeſtè apparet ex hoc, quod Eccleſia, quæ poſuit præceptum Communionis in Paſchate, nullum certũ tempus determinauerit pro confeſſione; quæ poteſt fieri quovis tempore anni; ſi enim Eccleſia iudicaſſet ſemper impẽdendam eſſe abſolutionem ſtatim poſt confeſſionem, ſicuti præcepit Communionem in Paſchate, præcepiſſet etiam Confeſſionem in eodem Paſchate, vel parum ante Paſcha.

Et quia ſolent quidam obijcere contra rationabilem dilationẽ abſolutionis, quam ſemper impẽdendam putant ſtatim poſt confeſſionem, modo tãtum pœnitens dicat ſe dolere, & emendatione proponere, quòd ſicuti Concil. Trid. quod fuit vltimum in Eccleſia Dei non renouauit antiquum rigorem pœnitentiæ peragendę ante abſolutionem, ita nec improbauit huiuſmodi praxim, quã optimè nouerat: idcirco operę pretium, eſt vt videamus primo cur dictũ Concilium expreſsè, & de mandato non ſuſtulerit huiuſmodi praxim benignorem: ſecundo quomodo voluerit quibuſdam caſibus pœnitentias Canonum ſeruari.

Dico

Dico itaque primo quod Concilium Tridentinum non fuerit congregatum, vt aliquid determinaret circa modum practicandæ pœnitentiæ, ante vel poſt abſolutionem, ſed vt cõſeruaret cõtra Hęreticos ſubſtantiam fidei: hęretici enim inter cętera negabant Sacramentum Poenitentiæ, & dicebant Pœnitentiam eſſe tantùm nouam vitam; contra quos definit Tridentinum eſſe Sacramentum Pœnitentiæ à Chriſto inſtitutum, conſtans confeſſione, contritione, abſolutione, & ſatisfactione; quam vltimam Pœnitentię partem maximè impugnabant hæretici: & ideò de illa vltimo loco velut præcipua & à Patribus maximè commendata latiùs uidetur egiſſe Tridentinum; deinde non poterat, conuenienter idem Concil. pręſcribere Regulas differendæ abſolutionis, & determinare caſus, quibus differenda eſt, multo minùs antiquum rigorem Canonum poenitentialium in integrum reſtituere, quia cum tunc temporis Eccleſia eſſet maximè corrupta & diuiſa in ſectas & hæreſes, indubiè plurimi tranſiuiſſent ad partes hæreticorum, ſi debuiſſent ſuſtinere antiquæ Poenitentiæ rigorem, vel & fortè ſolius abſolutionis dilationem, cum ſolius confeſſionis ruborem difficillimè ſuſtinerent.

Dico ſecundò, quod iſtud Concilium varijs locis parauerit viam antiquæ Poenitentiæ reſtituendæ, ſi non in totum, ſaltem pro parte, & in quantum infirmitas filiorum patitur, eiuſque

prçcipua iecerit fundamenta: primò vbi renouat omnes Traditiones Apoſtolicas, inter quas vna ex principalioribus eſt Diſciplina Eccleſiaſtica, ad cuius primum vigorem idem Concilium centenis locis aſpirat, eamque reſtituere allaborat. Nemo autem non videt, quòd præcipuus diſciplinæ Eccleſiaſticæ neruus ſit Poenitentia, vt idem Concilium innuit in Decreto de indulgentijs rarò concedendis. Secundò dū Seſſione 22. in Decreto de reformatione cap. primo innouat omnes Canones de vita & honeſtate Clericorum ſub pęnis in ijs contentis, & adhuc maioribus, inter quas erat ſuſpenſio ab officio, & remotio ab Altari, & recluſio in Monaſterio ad agendam pęnitentiam more Laicorum. Tertiò dum Seſſione 14. cap. 8. definit contra Lutherum, pęnitentiam non eſſe tantum nouam vitam, ſed inſuper requirere lamenta pęnitentiæ, & condignam pro peccatis commiſſis ſatisfactionem, expreſſam hoc verbo Euangelico: *Facite fructus dignos Pœnitentiæ*. Quartò dum in eodem cap. 8. iniungit Sacerdotibus, vt proportionatas peccatis ſatisfactiones imponant. Verba ſunt: Debent ergò Sacerdotes Domini, quantùm ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere, nè, ſi fortè peccatis conniueaut, & indulgentiùs cum pęnitentibus agāt, leuiſſima quædā opera pro grauiſſimis delictis in-

iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Verba ſanè Cõfeſſarijs formidanda.

Quæ verò magis accommodata pęnitentia eſſe poteſt, quam pro tempore ſeparari ab Euchariſtia in vindiĉtam peccati, propter cuius delicias peccator ſe ſponte à Corpore Chriſti ſeparauit? Grauiſſimum eſt à Corpore Chriſti ſeparari, & tamen vnuſquiſque poteſt hanc ſeparationem pati; & ſi benè perpendat grauitatem huius ſeparationis, debet grauiſſimum ſentire dolorem, & ſic ſpiritalem reddere ſatiſfaĉtionẽ, cum frequenter non poſſit corporalẽ.

Quintò, dum in eodem capite iniungit Sacerdotibus, vt non ſolùm ſoluendi, ſed & ligandi poteſtatem exerceant. Verba ſunt; Habeant præ oculis Sacerdotes, vt ſatisfaĉtio, quàm imponunt, non ſit tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindiĉtam, & caſtigationem; nam claues Sacerdotum non ad ſoluendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiã antiqui Patres, & credunt, & docent.

Sextò, dum eadem Seſſione cap. 5, declarat confeſſionem peccatorũ eò vergere, vt pęnitentia imponatur, & impleatur, ait enim; Conſtat Sacerdotes iudicium hoc incognita cauſa exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis ſeruare potuiſſe, niſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.

§. XLIII.

Rationes Tridentini Concilij pro neceſſitate & fructu ſatisfactoriæ Pœnitentiæ.

PRima ratio Concilij Tridentini habetur ſeſſione 14.cap.8. his verbis: Sanè,& Diuinæ Iuſtitiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmũ per ignorantiam deliquerint; aliter verò qui ſemel à peccati, & dæmonis ſeruitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcientes Templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidauerint. Secunda habetur eodem loco his verbis: Et Diuinam clementiam decet,ne ita nobis abſque vlla ſatisfactione peccata dimittantur, vt occaſione accepta peccata leuiora putantes velut iniurij, & contumelioſi Spiritui Sancto in grauiora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere à peccato reuocant,& quaſi fræno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque, & vigilantiores in futurum pœnitẽtes efficiunt. Tertia habetur eodem loco his verbis: Medentur quoque peccatorum reliquijs,& vitioſos habitus malè viuendo comparatos contrarijs virtutum actionibus tollunt. Quarta habetur ibidem his verbis: Neque verò ſecurior vlla via in Eccleſia Dei vmquam

exi-

exiſtimata fuit, ad amouendam imminentem à Domino pænam, quàm vt hæc Pænitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequententent. Quinta habetur ibidem ſic: Accedit ad hæc, quòd dum ſatisfaciẽdo patimur pro peccatis, Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſſimam quoque indè arrham habentes, quòd ſi compatimur, & conglorificabimur. Denique dicit idem Concilium eadem Seſſione in doctrina de Sacramento Extremæ Vnctionis, quòd tota Chriſtiana vita perpetua Pęnitentia eſſe debeat. Videri poſſunt ea, quæ habet ibidem cap. 8. de reformatione, vbi ordinat peccatoribus publicis, vt publicam agant pęnitentiam. Sunt autem in hoc ſæculo corrupto plurimi peccatores publici, qui proindè publicam deberent agere pęnitentiam.

§. XLIV.

Quænam ſit mens Auctoris huius Moralis de praxi Pænitentiæ antiquæ.

VIdes, beneuole lector, non fuiſſe mentis meæ in prima huius libelli mei editione ex dictis concludere, quòd antiqui Canones pœnitentiales, & antiquus ordo Pœnitentiæ debeant modò ita obſeruari, vt totus rigor il-

lorum Canonum exerceatur in pœnitentes iuxta qualitatem criminum, ſicut exercebatur olim: vel etiam quòd de neceſſitate debeat ſemper impleri Pœnitentia antequam detur abſolutio: nam de contraria mente mea ſatis patet ex ſolutione tertiæ obiectionis contra prædictam pœnitentiæ praxim: ſed mens mea eſt, primò oſtendere ex dictis quantùm nunc relaxata ſit antiqua praxis Pœnitentiæ, & quæ olim mens Eccleſiæ de Pœnitentia, & quæ adhuc modò ſit, cùm permaneat idem Eccleſiæ ſenſus, licet propter infirmitatem filiorum non ſit ſemper idem eius rigor, nec idem rigoris ordo: ſecundò vt diſcant & Confeſſarij,& pœnitentes non reprobare, ſed amplecti praxim, quam Sanctus Carolus Borromæus, Reſtaurator Pœnitentiæ in ſua Diœceſi Mediolanenſi, conformiter Decretis Concilij Tridentini inſtaurauit. Cui praxi intendo me conformare exemplo Eminentiſſimorum Virorum illam approbantium, etiam Epiſcoporum eam ordinantium, & Decreto proprij Superioris in propria Diœceſi, quod allegabitur infra: idcircò ſubiungo illam praxim, vt ſequitur.

§. XLV.

Praxis Pœnitentialis S. Caroli Borromæi.

HÆc praxis potiſſimùm ex tribus dignoſci poteſt. Primum eſt innouatio anti-

quo-

quorum Canonum pœnitentialium, pro quorum obſeruatione, ſecundùm moderationem prudentis Confeſſarij præmittit ſequētia in ſuo Sacramentali actorum parte quarta pag. 523. Cùm hæc Parochus pro prudentia charitateq; ſua ſpectabit, tùm verò maximè videbit, vt ne pro peccatis grauibus leuiſſimas Pœnitentias imponat: id quod & Confeſſoribus, & pœnitentibus periculoſum eſt, cùm id à ſacris Litteris, & à Conciliorum Decretis, & à Sanctorum Patrum ſententia alienum ſit. Nam diuinæ Literæ ab ijs, qui Pœnitentiam agunt, hoc efflagitant, vt fructus dignos pœnitentiæ faciant, vtque ad Dominum conuertantur in ieiunio, fletu, & planctu. Et verò qui peccatis grauibus leues quoſdam Pœnitentiæ modos imponunt, hi (inquit Canon) conſuunt puluillos, ſecundùm propheticum ſermonem, ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas. Imo Concilium Tridentinum docet alienorum peccatorum participes fieri eòs Confeſſores, qui dum cum pœnitentibus indulgentiùs agunt, leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungunt.

Deindè aſſignat ibidem Parocho modum iniungendi Pœnitentias pro ratione culpæ, & qualitatis perſonæ dicens: Iniunget prætereà Pœnitentiam pro culpa, & perſonæ ratione: itaut ſuperbis humilitatis opera; carnis volu-

ptatem ſectantibus, ieiunia, abſtinentiam, cilicij geſtationem, aliamque corporis macerationem, pro peccati grauitate indicat. In oratione negligentibus, vt ſingulis diebus, manè ſaltem, & veſperè orationi vacent; feria 2. & alijs certis ferijs pro defunctis orent; certis item definitiſque diebus deuotè viſitent ſtationales, & præcipuè deuotionis Eccleſias, & Altaria, præſertim in Quadrageſima, & in Aduentu. Mundi pompas, choreas, aliaque opera Satanæ conſectantibus eam Pœnitentiam imponet, vt in hebdomada mane certis diebus, id quod in ſingulos dies etiam faciendum eſſe grauiſſimè S. Chryſoſtomus monet, ſancta meditatione ſibi propoſita ſolemnem illam ſponſionem, quam per compatres in Baptiſmo ſanctè fecerunt, redintegrent, intimè Deum precando. In qua precatione firmo ſtabilique animi propoſito, ſtatuant ſe Chriſto Domino adhærere, renuntiareque iterum ſæculi pompis, operibus tenebrarum, & Diabolo imprimis; cui ſe aduerſarios eſſe & profeſſi ſunt; & profitentur perpetuò.

Tùm ibidem p. 525. exponit Confeſſarijs neceſſitatem ſciendi antiquos Canones dicens: Patres docuerunt quàm neceſſaria admodùm ſit Sacerdotibus, qui in audiendis pœnitentiũ confeſſionibus verſantur, Canonum Pœnitentialium ſcientia: etenim ſi omnia, quæ ad pœnitendi modum pertinent nō prudentia ſolùm,

ac pietate, ſed iuſtitia etiam metienda ſunt: certè norma hæc è Canonibus Pœnitentialibus ſumatur, oportet. Sunt namque ij quaſi Regulæ quædam, quibus cùm ad culpæ commiſſæ grauitatem rectè dignoſcendam, tùm ad imponendam pro illius ratione veram Pœnitentiam Sacerdotes Confeſſarij ita diriguntur; vt vbi ſingula, & quæ ad peccati magnitudinem, & quæ ad pœnitentis ſtatum, conditionem, ætatem, intimùmque cordis contriti dolorem pertinent; accuratè perpenderint, tum demum Pœnitentiam iudicio, ac prudentia ſua moderentur.

Denique ibidem addit ſe idcirco in vltima parte ſui libri retuliſſe iſtos Canones, inquiens: Atque hæc quidem, omniſque alia, quæ multiplex eſt, huius neceſſariæ cognitionis ratio à Patribus explicata, facit vt Canones Pœnitentiales pro Decalogi ratione diſpoſiti in vltimam huius libri partem referantur: vndè aliqua eorum notitia ab ipſis Confeſſarijs Sacerdotibus ſumi poſſit.

S. Carolo in hac parte præiuerunt duo Summi Pontifices, vnus nèpè Cæleſtinus, qui Epiſt. 3. cap. 1. ſic ait: Nulli Sacerdotum ſuos liceat Canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum poſsit regulis obuiare: alter Gregorius VII. qui in Concilio Romano 5. ita loquitur: Falſas penitentias dicimus, quæ non ſecundùm Auctoritatem Sanctorum Patrum pro qualita-

te

te criminum imponuntur,

Quibus accedit Iſaacus Lingonenſis Epiſcopus in Canones titulo 1. cap. 1. dicens: Qualis verò peccatis adhibenda ſit medicina, ſecundùm Canonum Authenticorum, & SS. Patrum eſſe debet inſtitutionem, & non ſecundùm placitum hominis, ſed ſecundùm Dei voluntatem: nec in hac parte voluntas, aut gratia hominis ſectanda eſt, ſed voluntas Dei in omnibus exquirenda, quatenus dignis precibus, & pęnitudine digna placare poſsit Omnipotẽtis Dei vindictam, quam ſuo vitio prouocauit.

Secundum ex quo praxis illa dignoſcitur eſt, quòd ordinet Pœnitentias publicas peccatoribus publicis imponi: ſic enim ait in Concilio Mediolanenſi primo de pœnitentia pag. 11. Ijdem (ſupple, Confeſſores) quemadmodum à Sancta Tridentina Synodo iuſſum eſt, publicè peccantibus publicam pœnitentiam imponãt: neque illud publicæ Pœnitentię genus, niſi data ab Epiſcopo facultate, ſecreta alia pœna commutare audeant. Item in Sacramentali actorum parte 4. cap. 523. ſic ait: Si quis igitur grauitèr publicèque peccarit: cùm publicam pœnitentiam reſtituendam eſſe Sacra Tridentina Synodus decernat, ei publicam pro ratione criminis imponet. Si cui autem, cum publicè offenderit, pœnitentia publica imponenda eſt, is ab ea longè refugiat, ne deſiſtat propterea perſuadere, vt ſuſcipiat: ſi minus

per-

perſuaſionibus poteſt, conſulat Archiepiſcopum. Deindè pag. 668. mandat Religioſis exemptis, & priuilegiatis, ne relaxent publicam Pœnitentiam ſine Epiſcopi conſenſu.

Tertium petitur ex varijs regulis, quas S. Carolus ſeruandas præſcribit circa abſolutionem peccatoris.

§. XLVI.

Regulæ ſeruandæ in Abſolutione Sacramentali iuxta S. Carolum Borromæum.

PRIMA.

PRima harum regularum eſt, non abſoluere eos, qui conſtanter peccato, eiuſque cõmercio non valedicunt, nec remedia adhibere volunt contra vomitum ſuum: quinimò licet hæc polliceantur: tamen Confeſſario probabilem faciunt metum, ne contrariũ contingat. Sic habet S. Carolus in Inſtructione Paſtorali parte 2. cap. 16. Iam vero non ſolum abſoluere eos non poſſunt, qui peccato mortali valedicere conſtanter non decernunt; ſed nec illos etiam, qui quamuis aſſerant peccatum ſe velle deſerere, tamen vna dicunt videri ſibi non ſe commercium illius eſſe relicturos, niſi ea velint remedia apponere ſine quibus Confeſſarius iudicat ad vomitum redituros.

Eſt

Eſt præterea conſultum abſolutionem differre, donec euidens appareat emendatio in ijs, qui tametſi dicant ac polliceantur, quod ſe eximent peccato, tamen Confeſſario probabilem faciunt metum ne contrarium contingat. Ex hoc genere eſſe ſolent plerique adoleſcentes, qui in otio vitam agunt, qui luxui dediti crapulam, & amores inhoneſtos ſequuntur, qui libidinibus paſcuntur, verba obſcæna proferunt, murmurant, in odijs, ac detractionibus verſantur quotidie, & confeſſionem differunt in vltimos Quadrageſimæ dies.

§. XLVII.

SECVNDA.

SEcunda regula eſt, non abſoluere paſsim recidiuos in peccata mortalia iuxta illa verba S. Caroli ibidem: Idem faciendum eſt cũ ijs, qui cum multos annos in peccatis ſuis perdurant, nulla interim adhibita opera in emendatione vitæ, in eadem peccata iterum, atque iterum labuntur.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

TERTIA.

TErtia regula eſt,non abſoluere eos qui volunt manere in occaſione peccati: ait enim S Carolus ibidem:Deindè nec eos abſoluat,qui cum peccatis mortalibus ſimul etiam eorum occaſiones vitare planè non proponunt

§. XLIX.

De occaſionibus peccatorum ex S.Carolo.

OCcaſiones peccatorum explicat Sanctus Carolus eadem parte Inſtructionis Paſtoralis cap.16.his verbis:Porro cum è re Confeſſarij vel maximè ſit,vt quæ ſint eæ occaſiones perſpicuè ſciat-paulò de illis loquemur diſtinctius hoc loco.

Sub occaſionem peccati mortalis omne illud cadit, quod peccandi mortaliter cauſam adminiſtrat, eo quod eiuſmodi eſt, quod, vel per ſe in peccatum inducat, vel eius occaſione confitens vſque adeo ad peccatum allicitur, vt certe Confeſſarius metuere poſſit,quod ex perverſo,quem diu induit,habitu,inpoſterum non magis abſtinebit,quam prius,à peccato,ſi in ijſdem occaſionibus verſetur.

Prioris ordinis occaſiones quæ ſcilicet ſuapte

pte natura trahunt in cōſenſum peccati mortalis,ſunt iſtiuſmodi:artem profiteri tabellis chartaceis,vel aleis ludendi, domum tenere in hunc finem alijs paratam; aliquam, cum qua ſit peccatum,vel apud ſe,vel apud alium ſuo rogatu fouere,vel quocumque modo in eiſdem ædibus habitare, perſiſtere in aſſidua collocutione, aſpectu, quotidiano congreſſu, & ſimilibus turpium amorum irritamentis.

Itaque ſi pœnitentem ijs aut ſimilibus impedimentis irretitum eſſe perſpexerit,ipſaque occaſio talis ſit, quæ tum etiam reipſa exiſtat, veluti quod concubinam alit, vel quid huiuſmodi Confeſſarius eum abſoluere non debet,niſi prius illam ipſam occaſionem prorſus abſcindat.

In alijs vero,vt alea ludere communiter, in venereis aſpectibus diu eſſe, conuerſari periculosè cum fœminis,perdurare in tactibus impudicis, ſi eis nuntium remittere non polliceatur, vel ſi ſpondeat, alias tamen cum de eodem fidem fecerit,vitam non emendauerit,abſolutionem differat vſque eò dum emendationis quædam argumenta videbit.

At verò cum vſu venire poſſit, vt ex omnibus quæ ſolers ac circumſpectus Confeſſarius excogitauerit,nullum remedium tamen potuerit habere,cur pœnitens abſque periculo & ſcādalo magno debeat occaſionem præſcindere, vtatur Confeſſarius his vijs;primò abſolutionis beneficium eo vſque extrahat, donec emenda-

tio-

tionis indicia videat, maximè ſi abſolutio citra aliquod illius periculum, vel infamiam procraſtinari poſſit, eaque doloris ſigna perſpiciat, eam animi diſpoſitionem, promptitudinemq; ſuſcipiendi omnia, quæ pro eius emendatione neceſſaria Confeſſarius iudicabit. Quo tempore remedia huiuſmodi pœnitenti proponet, quæ magis opportuna, magiſque neceſſaria apparebunt: v.g. præſcribet ei ne ſolus vmquam cum ſola verſetur; vt orationes augeat, corporis macerationē ſubeat aliquam, quodque præcipuum eſt frequenter confiteatur, aliaque ſimilia, quæ ſi pœnitens recipiat in ſe, poterit abſolui,

Contra vero ſi ab illa diligentia, quam vel ille, vel alius Cōfeſſarius iam diu adhibuit, non ſe emendauerit, non abſoluatur, donec impedimentum ſuſtulerit, vel niſi quid aliud à nobis acceperit, quod conuenire videatur, ad quos in tali negotio recurret, vt factum nobiſcum expēdat, ita tamen vt nulla fiat mentio peccantis.

Alterius generis occaſiones, quæ videlicet ex conditione peccantium ſumuntur, ea facta ſunt quæ etiamſi per ſe licent, tamen probabiliter timetur, ne is, qui confitetur, in eadem ipſa, quæ olim admiſit, peccata relapſurus ſit, ſi in eiſdem operibus, in quibus antea verſatus eſt, perſeueret. Tales ob mundi corruptelam plurimis eſſe ſolent, in caſtris eſſe, mercaturam ſequi, Magiſtratus obire, Aduocati & Procuratoris officia exercere, aliaque id genus; quæ dum quis

tra-

tractat,ſit ſæpe vt vocibus blaſpemis, furtis, iniuſtitia,calumnijs,odijs, fraudibus periurijs, & alijs eiuſdem farinæ ſceleribus quibus Deus offenditur,tantam ſibi eorum conſuetudinem aſſciuerint,vt coniectari liceat ſi in eiſdem officijs maneant, cum ſe rurſus eædem illæ oblaturæ ſint occaſiones,quod fortiorem animum ad reſiſtendum peccatis non opponent quam hactenus fecerint;quodque inde ſequitur in idem lutum ex integro prolabentur. Omnes qui ſunt huiuſmodi,ſecundum D. Auguſtinum,vel negotium ipſis periculoſum deponãt,vel ſaltem abſque licentia & obedientia pij ac probati Sacerdotis non excerceant:qui quidem hominem eo modo conſtitutum abſoluere non debet, ſi exiſtimat ad eadem peccata rediturum, quamdiu in antiqua occaſione perſeuerat: ſed æquum eſt vt vitæ emendatio,& quædam illius approbatio per temporis interuallum exſpectetur. Atque hic vigilandum eſt eo diligentius,quò manifeſtum eſt hac in parte Confeſſarios incuria ſua maximam præbere cauſam; cur in omnibus ferè opificijs & exercitationibus publicis peccata grauiſſima inueniantur,& abuſus intolerabiles,ſine quibus multi hodie exiſtimant,nec res etiam per ſe æquiſſimas rectè exerceri poſſe. v. g.in Magiſtratu adeundo, & alijs officijs aſſumendis, multa iuramenta reperiuntur,quæ ſeruari debent,quæ tamen poſtea non ſeruantur.Inter Conſiliarios,Aduocatos,Procuratores, cliẽ-

tum

tum perniciei ac damnis incumbitur contra id, quod propria conſcientia dictat faciendum. Idem fit in bello, vbi duellis locus datur, vbi odijs, homicidijs plena ſunt omnia. Inter ludendum maledicta vigent, rapinæ, quæſtus meretricij. Apud Mercatores hæc regnant, vſuræ, mercium fraudes, cùm vel eas miſcent, vel malas pro bonis in manum porrigunt, multoque pluris, quam pretium iuſtum eſt, eas diſtrahunt, nec deſunt periuria, mendacia, vectigalium fraudulenta auerſio, aliaque eius ordinis permulta. Plerique opifices feſtis æquè ac profanis diebus ita occupantur, vt numquam neque cultui diuino vacent, neque conciones frequentent, nec ſe ſolum, ſed ad ſimilem modum totam diſtentam familiam habent. Quamobrem magno numero inueniet Confeſſarius inter eos, qui talia exercent, omnem vitam ferè in peccatis mortalibus duxiſſe, qui quidem abſolutionis capaces exiſtimari non debent, niſi diligentia prius accedat; qua ſimul & ab inuolucris huiuſmodi liberentur, & fortiores contra peccatum reddantur. Quod ſi Confeſſarius poſuerit maiorem induſtriam in ijs examinandis, non dubium eſt, quin plures deprehendet, qui numquam (vt oportuit) Sacramento Pœnitentiæ peccata ſua expiarint. Quod cum fuerit ab eo animaduerſum, oſtendat eis præterquam quod de emendatione maiorem probationem facere debebunt, vel opificij genus, in quo ſunt, deſerere, totius etiam vitæ

confeſſionem inſtituere,ac ſtudio vehementi in ſalutem ſuam incumbere tenebuntur. Multò magis Confeſſarius circa ea officiorum, actionumque diſcrimina extirpanda allaborare debet,quæ nullam vel neceſſitatem reipublicæ, vel vtilitatem ſecum ferunt:quæ quamuis ex priori ordine rerum non ſint(illæ enim per ſe ad peccatum mortale inducunt,ac propterea neceſſariò à quouis homine,quocumque in ſtatu relinqui debent)nihilominus tamen ad male agendum inflectunt, ac facillimo negotio ſæpiſſime ad diuerſa peccata trahunt,vt choreis intereſſe, agere cum blaſphemis, verſari cũ ſcurris,malorum ſe ſodalitatibus hominum adiungere,tabernas frequentare,otio indulgere,ſimileſque actiones; in quibus vt plurimum peccare mortaliter homines ſolent, qui quidem ante non debent abſolui,niſi animo abalienato penitus illa ipſa ſe deſerturos eſſe polliceantur. Et quidem ſi probabiliter ſibi Confeſſarius perſuadeat poſſe ſe fidem primæ vel ſecundæ à pœnitente ſibi promiſſioni factæ dare,quòd ſcilicet occaſionem auferet,poterit eum promiſſionis intuitu abſoluere; ſin autem fidem ſemel atque iterum fregerit,ac tertio iam idem polliceatur, abſolutionem differat,vſque dum reipſa videat pœnitentem ſe omni peccato liberaſſe, in quo priùs vixerat.

Hæc S. Carolus Borromæus in Inſtructionis Paſtoralis parte 2.cap. 17. de occaſionibus ſecundi generis.

Nè

Nè autem exſtimetur, quod illa fuerint tantum ordinata à S. Carolo pro Diœceſi Mediolanenſi, cuius erat Archiepiſcopus: notandum eſt, quòd Amatus Coriache Presbyter, Canonicus, Archidiaconus Eccleſiæ Metropolitanæ S. Rumoldi Mechliniæ, & Sedis Archiepiſcopalis ibidem vacantis Vicarius Generalis anno 1668 die 23. Iulij Mechliniæ ordinauerit, vt omnes & ſinguli totius Diœceſis Confeſſarij in foro pœnitentiali ſe conformarent prædictis S. Caroli Borromæi inſtructionibus. Verba ordinationis, quæ ſic incipit: *Cùm ex impoſito munere nobis incumbat, &c.* ſunt hæc: Omnes & ſingulos, qui in foro pœnitentiali verſantur in hac Diœceſi, qua poſſumus animi contentione & affectu rogamus, & monemus in Domino, vt ad procurandam animarum ſalutem, & Sacramentorum abuſus tollendos, quoad huiuſmodi recidiuos, & incorrectos pœnitentes ea vtantur Eccleſiaſticæ diſciplinæ Oeconomia, quam S. Carolus Borromæus per Diœceſim ſuam cum grandi animarum lucro, per inſtructiones ſuas ſuis Paſtoribus & Confeſſarijs obſeruandam præſcripſit. Datum Mechliniæ, &c. Deinde ſubiungit tenorem præfatarum Inſtructionum pro vt à nobis de verbo ad verbum deſcriptæ ſunt.

§. L.

Obiectiones contra regulas Sancti Caroli Borromæi.

PRimæ obiectio, quam faciunt ordinariè peccatores Confitentes, dum Confeſſarius ipſis negat abſolutionem, eſt hæc: *Non faciam amplius, propono emendationem*. Sed audiant deſuper verba SS Patrum. Amb. lib. 2. de pœnitentia cap. 10. dicit: Si verè agerent Pœnitentiam, iterandam poſtea non putarent. Tales autem peccatores putant iterandam Pœnitentiam, quia centies dixerunt, *Non faciam amplius propono emendationem*, putantque ſufficere, quòd hoc cogitent hic, & nunc, licet non curent rigidiori Pœnitentia ſuperare inſtabilitatem ſuam, ſed ſperantes, quod ſi recidant, iterum hoc dicent. Concilium Toletanum tertium ſub Pelagio II. cap. 11. ſic ait: Quoniam comperimus per quaſdã Hiſpaniarũ Eccleſias, non ſecundùm Canones, ſed fœdiſſimè pro ſuis peccatis homines agere Pœnitẽtiam, vt quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris ſe reconciliari expoſtulent, ideò pro coercenda tam execrabili præſumptione, id à Sancto Concilio iubetur, vt ſecundùm formam Canonum antiquorum detur Pœnitentia. Vide quomodò iſtud Concilium vocet execrabilem

præ-

præſumptionem, vt quoties peccare libuerit, toties à Presbyteris reconciliatio expoſtuletur, quæ eſt hodierna multorum conſuetudo, ac proindè execrabilis præſumptio. Iſidorus Hiſpalenſis lib 2 ſententiarum cap. 13. ſic ait: Ille pœnitentiam dignè agit, qui ſic præterita mala deplorat, vt futura iterùm non committat: nam qui plangit peccatum, & iterùm admittit peccatum, quaſi ſi quis lauet laterem crudum, quem quantò magis lauerit, tantò ampliùs lutum facit. Idem Iſidorus ibidem cap. 16. ſequenti ita proſequitur: Canis reuerſus ad vomitum, eſt pœnitens ad peccatum: multi enim indeſinenter lachrymas fundunt, & peccare non deſinunt. Quoſdam accipere lachrymas ad Pœnitentiam, & effectum Pœnitentiæ non habere conſtat; quia inconſtantia mentis, nunc recordatione peccati lachrymas fundunt, nunc verò reuiuiſcente vſu, ea, quæ fleuerant, iterando committunt. Gregorius Magnus Paſtoralis parte tertia admonitione 31. ſic ait: Admonendi ſunt, qui admiſſa plangunt, nec tamen deſerunt, vt conſiderare ſollicitè ſciant, quia flendo inanitèr ſe mundant, qui viuendo nequiter inquinant, cùm idcircò ſe lachrymis lauant, vt mundi ad ſordes redeant. Et qui admiſſum plangit, nec tamen deſerit, pęnæ grauioris culpæ ſe ſubijcit; quia & ipſam, quam flendo veniam potuit impętrare, contemnit, & quaſi in lutoſa aqua ſemetipſum

voluit: quia dum fletibus ſuis vitæ munditiam ſubtrahit, antè Dei oculos ſordidas ipſas etiã lachrymas facit. Gregorius VII. Epiſtolarum lib.7.epiſt 10. ſic ait: Sacerdotalis culminis dignitas, tùm imperitia, tùm negligentia Sacerdotum (ſicut veſtra dilectio nouit) ex longo iam tempore peccatis exigentibus fuit collapſa. Ex qua quidem re, quaſi ex peſtiferà radice innumera mala exorta ſunt; adeò vt vſque ad hæc tempora noſtra, inter cætera, quæ malè pullulant vitia, falſæ nihilominùs Pœnitentiæ conſuetudo inoleuerit. Vbi Pontifex ille refundit in imperitiam, vel negligentiam Sacerdotum falſæ Pænitentiæ conſuetudinem. Deindè ſubiungit: Infructuoſam enim Pœnitentiam dicimus, quæ ita accipitur, vt in eadẽ culpa, vel ſimili, vel deteriori, vel parum minori permaneatur. Vndè quiſque dignè vult pœnitere, neceſse eſt, vt ad fidei recurrat originem, & quod in Baptiſmo promiſit, Diabolo ſcilicet, pompiſque illius abrenuntiare, & in Deum credere, videlicet recta de eo ſentiendo, mandatis eius obedire, ſolicitus ſit vigilanter cuſtodire. Quicumque ergò talitèr pænituerit, quoniam aliter ſimulatio dici poteſt, non Pœnitentia; illi peccatorum ſuorum remiſſionem, Apoſtolicà freti poteſtate, largimur: inſuper æternæ Beatitudinis gaudia, de Omnipotentis Dei Miſericordia confiſi promittimus.

Vn-

Vndè liquet ex hoc Pontifice non ſufficere verba ad Pœnitentiam, ſed requiri facta conformia profeſſioni baptiſmali.

Denique audiatur Petrus Bleſenſis de Confeſſione ſacramentali ita ſcribens: Putant aliqui ſibi ſufficere, quòd aliquamdiù à ſua turpitudine deſtiterunt, atque de primitijs arreptæ continentiæ præſumentes veteres exceſſus non recolunt, & quaſi ſpatio temporis euanuerint culpæ, vel earum oblitus ſit, aut dormiat Deus; putant de omnibus debitis breui Pœnitentiæ compendio tranſegiſſe..... Non ſine dolore cordis acerbiſſimo, & anxia cordis afflictione ſanantur, quæ longo vſu inolita, & intimis animarum medullis infixa ſunt, nec horaria, & leui contritione redimi poſſunt, quibus mors æterna debetur. Propoſitum itaque Pœnitentiæ perſeuerantia comitetur. Quid enim hæc omnia proderunt pœnitẽti, ſi ad vomitum reuertatur? nemo itaque de momentaneà contritione, vel affluentia lachrymarum præſumat..... ſi ſenſeris in te gratiam compunctionis, & affluentiam lachrymarum, non tamen ideò te ſtatim arbitreris Domino recõciliatum...... vides profectò quàm gratum ſit Deo ſacrificium lachrymarum, & pro omnibus delictis ſufficiens holocauſtum. Sed quibus? confitentibus, pœnitentibus, non reuertentibus ad vomitum, ſed in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito fugientibus ad pia-

viſcera IESV, & continuantibus dignos Pœnitentiæ fructus. Non ſunt igitur audiendi graues peccatores, dum ſtatim ac confeſſi ſunt, petunt abſolutionem, dicentes, *Non faciam amplius, propono emendationem*: non enim credere oportet eorum verbis, ſed factis, vt manifeſtum eſt ex præallegatis Patrũ teſtimonijs.

At dicunt: *Sibi fieri iniuriam*, *quod ſibi non credatur*, & addunt *non teneri ſe bis ſua peccata confiteri*, quod deberent facere, ſi ipſis differretur abſolutio. Audiatur ad hanc obiectionem Cyprianus de lapſis. Quod, inquit, non ſtatim Domini Corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini Sanguinem bibat, Sacerdotibus ſacrilegus iraſcitur. Atque ò tuam nimiam, furioſe, dementiam! iraſceris ei, qui abs te auertere iram Dei nititur, ei minaris, qui pro te Domini miſericordiam deprecatur; qui vulnus tuum ſentit, quod ipſe non ſentis; qui pro te lachrymas fundit, quas forſitan ipſe non fundis. Oneras adhuc crimẽ, & cumulas; & cùm ſis ipſe implacabilis ad Antiſtites, & Sacerdotes Dei, putas circa te Dominũ poſſe placari? Accipe potiùs, & admitte quę loquimur; quid ſurdę aures ſalutaria pręcepta nõ audiunt, quæ monemus? quid cæci oculi pœnitẽtiæ iter nõ vident, quod oſtẽdimus? quid perculſa, & alienata mens remedia vitalia non percipit, quæ de Scripturis cæleſtibus & diſcimus, & docemus? Sanctus Iuo Carnotenſis

ſis Epiſcopus Epiſt. 195. ſic ait peccatori reconciliationem petenti: Nolo te fallere: introitum huius viſibilis Eccleſiæ cum tuo periculo te habere permitto; ſed ianuam regni cæleſtis tali reconciliatione tibi aperire non valeo. Sanctus Ambroſius in Pſalmum 37. vult pœnitentem ſic ſe habere ad Confeſſarium, ſicuti ſe habet ægrotus ad Medicum, ait enim: Nemo dicit Medico corporis ſui, quemadmodum ſit curandus. Nouit Medicus quæ ſingulis vulneribus medicamenta conueniunt, cuius vlceris putredo ferro ſit amputanda, ne in totius corporis ſerpat exitium. Si dixerit Medicus medicinæ genus, quo curari æger debet, & ille faſtidiat, diſcedit Medicus, & ægrum relinquit. S. Pacianus in Paræneſi ad Pœnit. ità loquitur: Nunc ad eos ſermo ſit, qui benè, ac ſapienter vulnera ſua pœnitentiæ nomine confitentes, nec quid ſit Pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina, nouerunt, ſimileſque ſunt illis, qui plagas quidem aperiunt ac tumores. Mediciſque etiam aſſidentibus confitentur, ſed admoniti, quæ imponenda ſunt, negligunt; & quæ bibenda, faſtidiunt. . . . . . Quid ergò faciam nunc Sacerdos, qui curare compellor? ferrum eſt in eiuſmodi. Verumtamen ſi quis eſt veſtrum, qui ſecari, & exuri ſuſtineat, adhuc poſſum. Ecce ſcalpellum Propheticum: *Conuertimini*, inquit, *ad Dominum Deum veſtrum, ſimulque ieiunio, & fletu, & planctu, & ſcin-*

dite

dite corda veſtra. Nolite hanc ſecturam timere, dulciſſimi. Suſtinuit illam Dauid, iacuit in cinere ſordenti, ſacco inſuper horrente deformis. Ille quondam gemmis aſſuetus, & purpuris, texit in iejunio animam ſuam, cui maria, cui ſyluæ, cui flumina ſeruiebant, promiſſaſque diuitias terra parturiens; madidus lachrymis conſumpſit oculos illos, quibus Dei gloriam viderat, & infelicem ſe, miſerumque confeſſus eſt Pater Mariæ, Iudæi etiam dominator Imperij. Rex ille Babylonius, exomologeſim deſertus operatur, & ſeptenni ſqualore decoquitur. Leonum in illo iubas impexa cæſaries, & barbarus horror exuperat, & longè incuruis vnguibus manus horrentes Aquilas mentiuntur, cùm fœnum in morem Bouis ederet, pallentium ruminator herbarum. Hæc tamen illum Deo pœna commendat, & in ſua quondam regna reſtituit. Quem horrebant homines, Deus recipiebat, ipſa illa malæ tractationis calamitate felicem. Ecce ſectio, quam ſpopondi, qui potuerit tolerare, ſanabitur. Admouebo adhuc ignes de cauterio Apoſtolico: videamus an ferre poſſitis. Iudicaui, inquit, congregatis vobis, & ſpiritu meo, in virtute Domini Ieſu Chriſti tradere eiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in diem Domini. Quid dicitis, pœnitentes, vbi eſt veſtræ carnis interitus? ne hęc quidem, quæ videri etiam à Sacerdote poſſunt;
&

& Epiſcopo teſte laudari: ne hæc quidem quotidiana ſeruamus; flere in conſpectu Eccleſiæ, perditam vitam ſordida veſte lugere, ieiunare, orare, prouolui; ſi quis ab balneum vocet, recuſare delicias; ſi quis ad conuiuium roget, dicere: iſta felicibus, ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire. Quò mihi epulas, qui Dominum læſi? tenere præstereà pauperum manus, viduas obſecrare, presbyteris aduolui, exoratricem Eccleſiam deprecari, omnia priùs tentare quàm pereas. Scio quoſdam ex fratribus, & ſororibus veſtris cilicio pectus inuoluere, cineri incubare, ieiunia ſera meditari, & non talia fortaſsè peccarunt.

Denique Ianſenius Iprenſis Epiſcopus in caput 20. Euangelij Ioannis verſu 23. explicans illa verba, *Quorum remiſeritis peccata,* &c. dicit: Quorum ergò retinueritis, vel ad tempus propter Pęnitentię immaturitatem, vt paulatim perficiatur, ſiuè omninò propter impœnitentiam, retenta ſunt iudicio Dei in Cælis. Vtroque membro ſignificat non inanem eſſe poteſtatem, ſed effectum habere coniunctum. Cùm ergò & remiſſio, & retentio Apoſtolorũ cenſuræ, & iudicio committantur, palam eſt eos Iudices conſtitui: atque ita rectè præcipi omnibus fidelibus, remiſſionem conſequi ſatagentibus, vt peccata Sacerdotibus confiteantur, quatenùs audita peccatorum varietate, & qualitate, ſciant cui remittenda, cui retinenda,

quis

quis aut quomodo ligandus aut ſoluendus Hoc autem eſt indicium diſcretionis,quo diſcernitur quis ad beneficium abſolutionis admittendus, quis repellendus. Sed hoc ſternit viam ad aliud iudicium iuſtitię,quo peccata quadam expiatoria caſtigatione & vindicta plectũtur: quod quia præcipuum eſt in hoc tribunali,hinc fit, vt pęnitentes peccata ſua,non per modum narrationis ad Sacerdotis informationem tantum exponere debeant; ſed magis ad ſui accuſationem, ad confuſionem, ad compunctionem, denique ad pęnę taxationem.

Vrgent peccatores,& dicũt,quod *habeatur in Scriptura* (ſcilicet apud Ezechielem) *Quod in quacumque hora ingemuerit peccator, ſaluus erit.* Sed textum male citant: nam apud Ezechielem quidquid de illa re habetur, exſtat cap. 18. & 33. Sic autem habetur cap. 18. verſu 21. *Si autem impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia Præcepta mea, & fecerit iudicium & iuſtitiam, vita viuet & non morietur*. Deinde verſu 30. & 31. ita ſubdit. *Conuertimini & agite pænitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proijcite à vobis omnes præuaricationes veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum*. Tum cap 33. verſ. 14. 15. & 16. ſic ait, *Si autem dixero impio, morte morieris: & egerit pænitentiam à peccato ſuo, feceritque iudicium, & iuſtitiam, &* pi-

pignus reſtituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quidquam iniuſtnm, vita viuet & non morietur : omnia peccata eius quæ peccauerit non imputabuntur ei.

Hanc pęnitentiam, quam agi præcipit Ezechiel ad remiſſionem peccatorum, expreſſius deſcribit Iſaias cap. 1. dicens: *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere peruerse, diſcite bene facere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me dicit Dominus, ſi fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur.*

Vrgent præterea, & dicunt, quod *Chriſtus Dominus ſtatim remiſerit peccata abſque vlla Pænitentia impoſita ijs, qui ad ipſum recurrebant.* Sed ſi à Chriſti exemplo aliquid concluderetur pro Confeſſarijs, ſequeretur quod ſemper poſſent abſoluere pęnitentes ſine pęnitentia impoſita, quod eſt contra fidem. Reſpondetur itaq; quòd Chriſtus Deus erat, qui corda peccatorum conuertebat, & per poteſtatem Excellentiæ, quę non eſt alligata Sacramentis, peccata remittebat. Confeſſarij autem ſunt homines, qui non faciunt conuerſionem cordis, ſed per dignos fructus Pænitentiæ eam exſpectant. Deinde remiſſio peccatorũ à Chriſto facta potius habuit ſimilitudinẽ iſtius remiſſionis, quæ fit in Baptiſmo ſine Pęnitentia, quam illius, quę fit in Sacra-

cra-

cramento Pęnitentiæ:nam non legitur Chriſtus bis eidem donaſſe peccata; in Sacramento autem pœnitentiæ remittuntur peccata ijs, qui relapſi ſunt; ac proinde maiori pœna digni ſunt, propter ingratitudinem. Vndè Chriſtus dixit cuidam, cui peccata remiſerat; *vade, noli ampliùs peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*. Nec refert quod Chriſtus dixerit Petro interroganti, quoties dimitteret peccata fratri ſuo, *Vſque ſepties? non dico vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties*: nam hoc intelligitur de priuatis iniurijs conformiter orationi Dominicæ, in qua dicimus quotidie, *dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus*. Et eſto hoc intelligeretur de Sacramento pęnitentiæ, tantùm ſignificatur, quòd in Eccleſia Dei ſemper ſit poteſtas remittendi peccata, de quibus fit cōdigna pęnitentia.

Pergunt peccatores & dicunt, *Quod incurrent infamiam, ſi non communicent poſtquam confeſſi ſunt; quia adſunt noti, qui ipſis aduigilant, vel celebrandum eſt Sacerdoti, &c.* Sed SS. Patres tales excuſationes non admiſerunt, quia ſalutem animæ ſempiternam prætulerunt famæ perituræ, cui etiam alijs modis iudicio prudentis Confeſſarij conſuli poteſt. Et quid dixit Chriſtus de occaſionibus peccatorum remouendis? *ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te erue eum, & proijce abs te, &c.* Numquid præſtat ſine fama vana (nam vera fama in virtute fundatur) ire ad cœlum quam

quàm cùm tali fama ire ad infernum?

Vrgent quandoque, *diem eſſe magnæ Indulgentiæ, per quam poterunt conſequi veniã omnium ſuorum peccatorum, & dicunt ſe ad hoc venire ad confeſſionem*: ſed tales communiter ſatis indicant, quod non velint pœnitentiam agere; ac proinde, quod velint abuti indulgentijs, quæ ſunt tantùm ſupplementum Pœnitentiæ, non refugium peccatorum impœnitentium, nec eneruatio diſciplinæ Eccleſiaſticæ.

Denique vrgent; *Sententiam eſſe communem Caſuiſtarum, & modernorum Theologorum, quod ad abſolutionem Sacramentalem ſufficiat Attritio ex puro metu gehennæ concepta*: dicunt autem ſe habere talem attritionem; ac per conſequens contendunt ſe debere abſolui: quia ſi morerentur cum ſola iſta attritione damnarentur, & ſi accedat Sacramentum Pœnitentiæ ſaluabuntur.

Ad quod reſpondeo me dubitare primò, an tales multis peccatis frequenter onerati, talem attritionem habeant, quæ procedat ex impulſu Spiritus ſancti, qui effugit fictum diſciplinæ; an verò illa eorum attritio non ſit merè naturalis, qua timent infernum, ſicut timent ignem, ſeu quodcumque malum naturale; quæ certè non ſufficit ad Sacramentum.

Secundò, quia dubium eſt ad minimum, vtrū talis attritio ſufficiat cum Sacramento, cum magni Theologi ſuſtineant illam non ſufficere, & Patrum teſtimonia ſuperiùs allata hoc euincere videantur.

Vn-

Vnde cum opinio contraria de ſufficientia talis attritionis ſit in praxi valde inſecura,& ad ſummum ſequenda in articulo neceſſitatis: Meritò Illuſtriſſimus Dominus Iacobus Boonen huius Diœceſis Mechlinienſis Archiepiſcopus, hanc ſequentem ordinationem confecit de data Bruxellæ die 26. Martij anno 1637. Iacobus Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Mechlinienſis omnibus animarum curam habentibus,Confeſſarijs, & verbi Diuini prædicatoribus in noſtra Diœceſi ſalutem in Domino. Cum in ſancta Catholica Eccleſia nihil excellentiùs habeatur ipſis Sanctiſſimis Sacramentis, è quibus vti largiſſimis fontibus Saluatoris noſtri Dei in animas fidelium, vel indeſinenter profluit prima gratia, qua iuſtificantur, vel etiam accepta augetur, vel deperdita reſtituitur, nihil magis cordi eſſe debet ijs, quos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quàm vt ea non ſolum ritè, & abſque vllo inualiditatis periculo,ſed inſuper pleniſſimo ſemper effectu Ouibus ſuis adminiſtrentur.. Quare cum ex omnium Theologorum ſententia in eorundem Sacramentorum adminiſtratione adhiberi ſemper debeant materiæ,& formæ certæ,determinatæ, ac quantùm fieri poteſt ſecuriſſimæ, nullo autem modo (extra neceſſitatem) dubiæ, vel controuerſæ: intelligamus verò inter Catholicos Doctores adhuc diſputari, an inter actus pœnitentis, quos Sacrum Concilium Triden-

dentinum definit eſſe quaſi materiam Sacramenti pęnitentiæ; ſufficiens cenſeri debeat illa contritio imperfectà,ſeu attritio, qua tantum propter pęnas peccata deteſtamur,pluribus quidem à Concilio Tridentino id affirmantibus, alij s nihilominus,etiam ab eodem Concilio, id negantibus:ne in iſta ſententiarum diuerſitate ſalus pęnitentium periculo exponatur; vobis & vnicuique veſtrum, qui ad Sacramenti pęnitentiæ adminiſtrationem eſtis admiſſi & approbati,mandamus,quatenus omnem veſtram induſtriam eo conferatis,vt omnes ad dicti Sacramenti perceptionem accedentes, inducatis, moueatis, & diſponatis ad veram & cordialem deteſtationem,ac dolorem ſuorum peccatorum, non tam ex timore pœnarum, quàm ex Dei amore, quo ipſum velut ſummum bonum (quod maxima impietate peccando contempſerunt) perfectè diligant, vel ſaltem vt fontem iuſtitiæ, qua ſcilicet iuſtificamur, diligere incipiant. Si enim populus ille rudis ſub veteri lege, qui acceperat tantùm ſpiritum ſeruitutis in timore, in tanta gratiæ penuria non poterat iuſtificari, niſi per veram & perfectam contritionem, neque ſaluari, niſi per dilectionem Dei ſuper omnia; meritiſſimè nos filij noui Teſtamenti, qui non accepimus iterùm ſpiritum ſeruitutis in timore, ſed ſpiritum adoptionis, quo filij Dei nominamur & ſumus, in tanta gratiæ plenitudine,quam effudit in nos per Spiritum ſanctum,

qui datus eſt nobis,non tamquam ſerui timore pœnarum,ſed tamquam filij ex amore eius, qui dilexit nos,& lauit nos à peccatis in Sanguine ſuo,ipſa peccata ſuper omnia mala deteſtari debemus.

Vt vero populus Chriſtianus in re tanti momenti magis inſtruatur,vobis verbi Dei Prædicatoribus iniungimus,quatenus ſæpius occaſionem captetis tractandi de natura, motiuis, & effectibus contritionis, vt & de amore Dei ſuper omnia (ſine quo vera contritio haberi non poteſt) vt duobus hiſce neceſſarijs medijs inſtructus quauis occaſione, & quouis tempore, auxiliante Domino remiſſionem peccatorum, & ſalutem animarum ſuarum conſequi poſſit. Datum Brux: die,menſe,anno, quibus ſupra.

Hoc Decretum renouatum eſt ab Amato Coriache in qualitate Vicarij Generalis anno Domini 1667. die 28. Aprilis,

§. LI.

Pro Coronide ſit teſtimonium Sancti Franciſci Xauerij.

TVrcellinus in vita S. Franciſci Xauerij lib. 6. cap. 17. ita refert predictum Sanctum ſuis ſocijs Ieſuitis conſuluiſſe: Confeſſionem non continuò ſequetur abſolutio, ſed biduū triduumue dabitur eorum pectoribus certarum re-

rerum meditatio præparandis, vt interim animorũ maculas lachrymis ac voluntarijs eluant pœnis. Si quid cui debent, reſtituant; ſimultatibus, ſi quas habent, depoſitis, redeant cum inimicis in gratiam: à libidinis conſuetudine cæteriſque, quibus impliciti ſunt, flagitijs expediantur. Hæc omnia abſolutionem præcurrunt rectius, quàm ſequuntur.

§. LII.

De cura conſeruandi fructum Sacramenti Pœnitentiæ.

Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat *Ioannis* 5.

QVoniam de præparatione neceſſaria ad hoc Sacramentum cum fructu ſuſcipiendum tanta & tam multa iam dixi, quę per ſe ſola ſufficiunt, & nata ſunt maximam ingenerare curam peccatori, per veram Pœnitentiam reconciliato, vt prædictum fructum ſtudeat conſeruare: Idcirco ne ſim abſque neceſſitate longior, ſufficiet mihi pro concluſione materiæ tãtopere neceſſariæ hoc unum addidiſſe & monuiſſe; nimirum quòd (quia conſeruatio alicuius effectus eſt eiuſdem naturę cum prima eius productione) ſecuriſſimus modus conſeruandi gratiam Reconciliationis virtute Pœnitentiæ

promeritam, & per eius Sacramentum collatam, ſit, ſemper agere Pœnitentiam.

§. LIII.

De virtute Sacramenti Extremæ Vnctionis.

Super ægros manus imponent,& bene habebunt. *Marci* 16.

VIrtus Sacramenti Extremæ Vnctionis ſatis innoteſcit ex illis verbis: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum vngentes eũ oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, rimittetur ei.* Itaque hoc Sacramentum producit primò ſalutem imfirmi ſpiritalem dando ipſi augmentum gratiæ, quod poteſt eſſe tantum, vt ſi contingat ipſum corporaliter mori introducat eum immediatè in vitam æternam: Secundò ſalutem corporalem, ſi hæc conducat ad ſalutem eius ſpiritalem: Tertiò vim morbi alleuiat, conſolationem quamdam cœleſtem animo infirmi interius affundendo: Quartò ſi ſit in peccatis venialibus, ea ipſi remittendo. Dico venialibus, quia cum hoc Sacramentum non ſit mortuorum, ſed viuorum, peccata mortalia directè non remittit; remittit tamen venialia auertendo infirmum ab affectu mundi, & cõuertendo in Deũ tamquam cõſolatorem ſuum vnicum; & ſic etiã re-

remittere poteſt pœnas peccatis debitas, efficiendo vt infirmus totaliter ſe reſignet in diuinam voluntatem, & libenter dolores morbi, mortemque ipſam in ſatisfactionem peccatorum ſuorum acceptet, Deoque offerat.

Quinimò fieri poteſt, vt ex cõſequenti remittantur ipſi peccata mortalia, quorum conſcientiam non habet, vel ſi habet, & ea clauibus ſubijcere non poſſit, quia nullum amplius ſignum dare poteſt, ex iſta reſignatione ſequatur tanta conuerſio cordis in Deum, vt incipiat ſincere deteſtari omnia, quæ Deo tanquam Summo bono aduerſantur, & ſic in ſe excitet actum contritionis ex amore Dei ſuper omnia dilecti. Propterea obligantur Paſtores etiam peſtiferis hoc Sacramentum adminiſtrare, eo quod ſit quędam appendix Sacramenti pœnitentiæ, & quaſi vltimum viaticum infirmis de hoc mundo exeuntibus.

§. LIV.

De æſtimatione & reuerentia Extremæ Vnctioni exhibenda.

Ego veniam, & curabo eum. *Matt. 8.*

SAne ſi ſalus hominis ſummi facienda eſt; & Sacramentum ſalutis maximi faciendum. Hoc autem Sacramentum merito dicitur ſalutis, quia, *oratio fidei ſaluabit infirmum*, inquit Ia-

cobus : vnde ſalutem per Baptiſmum inchoatam, Confirmatione roboratam, Euchariſtia nutritam, hoc Sacramentum complet & perficit: & ſi ſalus fuerit deperdita per peccatum mortale poſt Baptiſmum cõmiſſum, ac per pœnitentiam reſtituta, non tamen perfectè, hoc Sacramentum ſupplet, quod deerat pęnitentiæ: & quandoque pęnitentiæ locum ſubit (vt antedictum eſt) dum pęnitentia peragi nequit, nec eius Sacramentum ſuſcipi.

Deinde ſi tanti ſit conſolatio temporalis amicorum, dum quis in afflictione poſitus eſt, quãto magis æſtimanda eſt conſolatio cæleſtis per præſentiam Spiritus Sancti, qui illam in hoc Sacramento operatur: vndè oritur obligatio maximæ reuerentiæ huic Sacramento exhibendæ propter aſſiſtentem intimè Spiritus ſancti præſentiam, & interiorem applicationem meritorum Chriſti, quæ ſit per omnia Sacramenta.

§. LV.

De præparatione neceſſaria ad Extremam vnctionem.

Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Iſrael. *Matth.* 8.

OPtima præparatio ad hoc Sacramentum ritè & cum fructu ſuſcipiendum, eſt ſi tẽpore ſanitatis reliqua Sacramenta, quorum gra-

gratiam hoc Sacramentum ſupplet,& perficit, debitè ſuſcipiantur. Deindè ſi ingraueſcente vi morbi cum periculo vitæ infirmus adhuc plenis ſenſibus,& perfecta ratione vtens, curet aduocari Presbyterum,qui oret ſuper eum,vngatque illum oleo in nomine Domini;vt per orationis vim, & virtutem vnctionis, erigatur in ſpem ſalutis,charitatemque presbyteri pro ſe orantis,vt Domini miſerentis,erga ſe intelligat & experiatur, ſalutemque conſequatur, ſiue ſpiritalem ſolam,ſiue cum ſpiritali corporalem caſu quo hæc ad illam conducat; & interea ſuperna dulcedine grauitas morbi ipſius alleuietur, eius animus in cælum feratur, à terrenis abſtrahatur,nec non peccatorum reliquiæ ipſi remittantur. Hinc malè faciunt, qui differunt huius Sacramenti ſuſceptionem,donec ſint mente deſtituti,& neſciant quid circa eos agatur: quia tunc deuotionem propriam habere non poſſunt,ad huius Sacramenti fructum abundè percipiendum,maximè vtilem. Peccantque grauiter & Medici,& Paſtores,& cæteri curam habentes infirmi,qui tempeſtiuè de hoc illum non monent,nec adhortantur,aut inducunt, ſicut oportet,ad huius Sacramenti ſuſceptionem. Sunt verò in errore peſſimo, quem Diabolus ſalutis hominum inimicus capitaliſſimus inuexit, qui putant ægrotum citius moriturum,ſi tempeſtiuè inungatur Oleo ſancto: nam nihil eſt magis contrarium virtuti huius Sacramenti,quam in-

 fer

ſerre mortem, cum ei ſit proprium ferre ſalutem: dicit enim Iacobus, *oratio fidei ſaluabit infirmum*, etiam dando ſalutem corporalem, ſi conducat ad ſpiritalem. Verùm quidem eſt, quod ordinariè accepto hoc Sacramento cum deuotione, infirmi reddantur magis quieti nec ſoleant diu in eodem ſtatu morbi permanere, quia ſupponuntur eſſe in extremis, dum Sacramentum hoc ipſis adminiſtratur: ſed quod moriantur, nō eſt huic Sacramento attribuendum, ſed ſolū quod quietè moriantur, & cum maiori fiducia in diuinam miſericordiam. Quod autem quandoque ſubitò reualeſcant, huic Sacramento merito attribuitur.

Solicite igitur ſunt dedocendi hūc errorem, qui illo laborant, & admonendi vt ſi periculosè ægrotent, hoc Sacramentum tempeſtiuè & cum deuotione ſuſcipiant: vti & illi, qui curam eorum habent, vt ad hoc eos inducant.

§.LVI.

§. LVI.

De cura conſeruandi effectum Extremæ Vnctionis.

Oportet ſemper orare, & non deficere. *Luc.* 18.

Optimus modus conſeruandi effectum huius Sacramenti vſque ad mortem eſt cõtinuare orationem, quam incepit Sacerdos, & infirmum oleo ſuæ charitatis continuò vngere, id eſt, conſolari, ſub ſpe præmiorum cæleſtium, intuitu meritorum Chriſti, per miſericordiam Dei acquirendorum, necnon ad deteſtationem omnium peccatorum excitare, à mundo abſtrahere, & Cælo vnire.

§. LVII.

De Virtute Sacramenti Ordinis.

Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. *Ioannis.* 20.

Virtus Sacramenti Ordinis tranſcendit virtutem Angelicam, quia facit puros homines participes Sacerdotij ſecundùm Ordinē Melchiſedech ſoli Chriſto Homini Deo proprij ſecundùm naturam humanam aſſumptam, non ſecundùm Angelicam, quam Chriſtus

non

non aſſumpſit, ſeu non apprehendit, vt Paulus ad Hebræos loquitur.

Chriſtus ergò in natura humana aſſumpta Sacerdos exiſtens ſecundùm Ordinem Melchiſedech, Corpus ſuum, & Sanguinem nobis in cibum, & potum dedit, ſicut Melchiſedech panem, & vinum, ob victoriam ſuper Reges infideles ab Abrahamo obtentam, protulit. Atque ita Chriſtus factus eſt Sacerdos in æternum, vt nos Corpore, & Sanguine ſuo in æternum paſceret. Idcirco aſcenſurus ex hoc mundo ad Patrem relinquere voluit Sacerdotes ſui Sacerdotij participes, & miniſtros, ad quorum conſecrationem legitimam Sacramentum ordinis inſtituit, quo ex hominibus aſſumerentur quàm maximè idonei ad tanti muneris functionem, collata eis poteſtate ad conficiendum Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini per modum oblationis Patri Aeterno factæ,& nobis in alimentum futuræ; ad inſtar illius, quam Melchiſedech in pane, & vino prolatis in formam futuri, fecit Patri Abrahæ. Et quia Melchiſedech Abrahæ benedixit panem, & vinum proferens, dicendo: *Benedictus Abraham Deo excelſo, qui creauit Cælum, & terram, & benedictus Deus excelſus, quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſunt*: *Gen* 14. ideò Chriſtus Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech,præuidens quòd homines panem Cor-

poris

poris ſui eſuri, & Sanguinem bibituri, forent ab hoſte,id eſt, à Diabolo vincendi, & per hoc tali eſu, & potu futuri indigni, addidit Poteſtatem Sacerdotibus peccata illis remittendi, & retinendi, ſecundùm quod, per dignos Pœnitentię fructus à ſe factos, ſe dignos redderent, aut per eoſdem neglectos, præberent indignos. Tanta igitur eſt Sacramenti Ordinis efficacia, vt Sacerdotem conſtituat Chriſti Miniſtrum in duabus primarijs Sacerdotij eiuſdem functionibus: quarum prima eſt, conficere Corpus, & Sanguinem Domini, & vtrumque in ſacrificium Patri æterno offerre, necnon fidelibus in alimentum illud dare: ſecunda eſt indignos ab iſto alimento arcere, & per remiſſionem peccatorum, mediante congrua Pœnitentia, ad illud dignos reddere.

Quod ſanè miniſterium primum eſt eorum omnium, quæ in Cælo, & in terra repeiiuntur, cùm Deus nihil habeat maius ſe, quod det; nec maiorem poteſtatem, quàm remittendi peccata: Vnde hoc Sacramentum Ordinis ex vi ſua, ſeu ex opere operato (vt loquuntur Theologi) conferens duas illas Poteſtates Sacerdotio Chriſti eſſentiales, virtute quodammodò cætera tranſcendit Sacramenta; nam ad cæterorum virtutem per Miniſtrorum conſecrationem viam parat: Sacerdotis enim eſt Euchariſtiam, in qua Chriſtus realiter continetur, conficere; idcircò Sacerdotis eſt & Baptiſ-

ptiſmum, & Confirmationem, & Pœnitentiam, & reliqua Sacramenta, quatenùs ad realem cum Chriſto vnionem ordinantur, conferre, aut ſaltem, vt in Matrimonio contingit, eis aſſiſtere.

Quam ſanè precellentiam ab hoc Sacramento Ordinis accipit: ex qua eiuſdem Sacramenti virtus vlterius innoteſcit.

§. LVIII.

De æſtimatione, & reuerentia huic Sacramento exhibenda.

Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos, & poſui vos vt eatis, & fructum afferatis; & fructus veſter maneat *Ioannis.* 15.

SAcramentum hoc æſtimare oportet ſicut fundamentum totius Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, quæ per hoc Sacramentum conſtituitur, & ſine qua non eſt participatio Corporis, & Sanguinis Domini, nec remiſſio peccatorum. Oportet etiam idem Sacramentum reuereri, ſicut maximum Chriſti opus, quo cæteris Sacramentis, & conficiendis, & adminiſtrandis Miniſtros conſtituit; qui proindè, ſicut ipſe Chriſtus, honorandi ſunt, quia eius locum tenent in Sacerdotio in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech. Nam ſi Miniſtri Regum terrenorum honorandi ſunt, quia ipſos repræſen-

ſentant: & ſi illi honorandi ſunt quodcumque Regum ſuorum negotiâ gerant; multò magis hi honorandi ſunt, quia in principali eius negotio, nempè ſalutis hominum, perſonam eius gerunt. Et ſi pœna mortis temporalis afficiantur, qui Miniſtros Regum terræ inhonorant; quanta pœna non ſunt afficiendi qui Miniſtros Regis cæleſtis, & Dominatoris vniuerſorum, contemnunt, iuxta illud Euangelij: *Qui vos ſpernit, me ſpernit. Lucæ* 10. *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*, vt alio loco inquit Dominus.

§. LIX.

De præparatione neceſſaria ad hoc Sacramentum.

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? *Matth.* 20.

PAulus volens nobis inculcare neceſſitatem huius præparationis, dicit ad Hebræos: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron*: *Heb.* 5. quinimò tantam huius vocationis neceſſitatem commendat, vt de Chriſto aſſerat dignitatem Sacerdotis ei à Patre æterno collatam, non ab ipſo ſpontè aſſumptam, dicens: *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret; ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu,*

ego

ego hodie genui te. Ibidem: Quemadmodum & in alio loco dicit: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. Pſal.109.*

Nec mirum, quia cùm poteſtas ſanctificandi, & ſaluandi homines ſoli Deo propria ſit, & illa per Sacramentum ordinis communicetur Sacerdotibus Noui Teſtamenti in ſimilitudinē Sacerdotij Chriſti; indubiè indigent vocari à Domino Deo, qui talem accepturi ſunt poteſtatem: de qua vocatione & monentur interiùs à Domino, & certificantur exteriùs, vel per vocem populi, quæ in ſimilibus frequenter eſt vox Dei, vel præcipuè per aſſumptionē Superioris Eccleſiaſtici, id eſt, Epiſcopi, quem poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei. Quòd ſi quis ſe intrudat in Sacerdotium, in perniciem ſuam ſe intrudit, & frequentèr in aliorum ruinam. Neque ſufficit vocatio interior ſola, quia poteſt eſſe illuſoria, niſi accedat iudicium eorum, ad quos ſpectat Regimen Eccleſiæ.

Vt autem hæc vocatio ſit legitima, duo requiruntur, iuxta vocem Domini dicentis, primò; *Sancti eſtote quia ego ſanctus ſum. Leuit. 19.* Secundò: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt Malach. 2.* Idcircò grauiſſimè peccant Superiores, qui mittunt ad Sacerdotium eos, vel qui non ſunt excellenti pietate præditi, vel non ſunt idonei ad explicandam fide-

ſidelibus Legem Dei, id eſt, neceſſaria ad ſalutem (vt Concilium Tridentinum requirit) & inſuper ad adminiſtrandum, ſicut oportet, Sacramenta Eccleſiæ. Epiſcopi verò, qui ex certa ſcientia tales ordinant, Poteſtate ſibi à Chriſto data abutuntur in deſtructionem Eccleſiæ, & non in ædificationem, necnon in ſui perniciem.

De reliquis Ordinibus, & de dignitate eorumdem, deque præparatione ad illos dignè ſuſcipiendos particulariter hic non ago, quia omnes ad Sacerdotium referuntur, cuius proindè & efficaciam, & dignitatem, & præparationem imitantur: vndè in limine ſtatus Eccleſiaſtici, dum prima tonſura recipitur, ſæculo renunciatur per hæc verba: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Amen.* Quaſi diceret is, qui tonſuratur: Domine Deus, non volo aliam partem hæreditatis meæ, quàm Te, & volo bibere eumdem calicem paſſionum, quem tu bibiſti, expectans à te in mercedem teipſum velut vnicam hæreditatem meam.

§. LX.

§. LX.

De cura conſeruandi effectum huius Sacramenti.

Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. *Matth.* 19.

AD conſeruandum effectum huius Sacramenti, non dico characterem, qui eſt indelebilis, ſed gratiam neceſſariam ad debitam functionem ſui miniſterij, debet Sacerdos ſe conſiderare, & gerere, ſicut Chriſtus ſe conſiderauit, & geſſit, ſcilicet tamquam medium inter Deum, & hominem, vt Deo ſemper ſe ſubijciat, & hominibus benè præſit, vt illos ad Deum adducat: Ad quod requiritur, vt incipiat facere, & docere. Atque vt faciat, & doceat, non deſinat Deum orare. Generatim vt non faciat voluntatem ſuam, ſed Patris eius, qui in Cælis eſt, cuius ſolius debet gloriam quærere, & animarum ſalutem cum amiſſione propriæ Vitæ. Sic Sacerdos perdendo animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodiet eam.

§. LXI.

De Virtute Sacramenti Matrimonij.

Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. *Matth* 19.

MAtrimonij Myſterium tàm antiquum eſt, quàm coniunctio primorum parentum: poſtquam enim Dominus creauerat Adam primum parentem noſtrum, dixit: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Immiſit ergo Dominus Deus ſoporem in Adam; cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea: & ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulit de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt; Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Gen.* 2.

Chriſtus Dominus volens reſtituere Matrimonium corruptum primæ ſuæ inſtitutioni, illudque conſtituere Sacramentum nouæ Legis, ſic ait: *Qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos, & dixit: propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Ex qua Chriſti de-

claratione euidenter apparet Matrimonium ex Inſtitutione Diuina facere indiſſolubilē Coiugum vnionem, eadem ratione, ac ſi eſſent vnum corpus, ſeu vna caro; & per conſequens vnus ſpiritus, quia non eſt vna caro viua ſine vno ſpiritu.

Hinc Paulus conſiderans iſtam coniugum vnitatem virtute Matrimonij factam ita reſpondet Corinthijs: *De quibus autem ſcripſiſtis mihi; bonum eſt homini mulierem non tangere; propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum habeat. Vxori vir debitum reddat, ſimiliter autem, & vxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.*

Quæ verba Apoſtoli præcedentibus iuncta ſignificant eam Matrimonij eſſe virtutem, vt corpora coniugum ſint facta vnū; adeò vt corpus vnius ſit corpus alterius,& contra: conſenſuſque coniugum in mutuas perſonas fuerit cauſa huius vnitatis. Hinc idem Apoſtolus ad Epheſios volens oſtēdere neceſſitatem vnionis inter coniuges(cum dependentia tamen vxoris à marito) non ſolùm corporum, ſed & animorum, ita ait; *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino: quoniam vir Caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus Caput eſt Eccleſiæ, ipſe Saluator Corporis eius. Sed ſicut Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus.* Ne tamē viri

ſupra

ſupra mulieres extollantur, eaſue contemnant, ſubdit: *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiã, & ſemetipsũ tradidit pro ea.*

Et ne viri carnali amore, ſed ſpiritali diligant vxores ſuas, addit finẽ amoris Chriſti erga Eccleſiam, dicens: *Vt illam ſanctificaret mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, & exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta, & immaculata. Ita & viri debent diligere vxores ſuas, vt corpora ſua. Qui ſuam vxorem diligit; ſeipſum diligit: nemo enim vmquam carnem ſuã odio habuit; ſed nutrit, & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam: quia membra ſumus corporis eius, & de carne eius, & oſſibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ & erunt duo in carne vna.*

Audi nunc concluſionem Apoſtolicam pro huius Sacramenti virtute in Chriſto, & in Eccleſia: *Sacramentum*, inquit, *hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.*

§. LXII.

De æſtimatione, & reuerentia huic Sacramento exhibenda.

Qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos. *Matth.* 19.

VErba vltima Apoſtoli, nempè, *Sacrãmentum hoc magnum eſt, ego autem dico in*

N 2 Chri-

Chriſto & in Eccleſia, tàm clara ſunt, ad probandum ſummam Matrimonio æſtimationem, & reuerentiam eſſe exhibendam, vt ſolus non Chriſtianus dicere audeat, Matrimonium vel non eſſe Sacramentum, vel non eſſe Magnum Sacramentum. Quid ergò dicendum eſt de his coniugibus, qui non animo ſolùm, ſed corpore diſiunguntur, & alijs miſcentur? dicendum ſanè, quòd nomine quidem poſſint eſſe Chriſtiani, re autem nullo modo: quia non agnoſcunt indiuiſibilem vnionem Chriſti cum Eccleſia, ſuo coniugio figuratam: nam Chriſtus vni ſoli Eccleſiæ & animo, & corpore coniunctus eſt, vti & vna Eccleſia vni ſoli Chriſto. Quid deindè dicendũ eſt de illis cõiugibus, qui ſe inuicem quidẽ amore proſequuntur, ſed vel prolem habere, vel illam habitam educare chriſtianè, non amant? dicendum, quòd reuera ſe non ament: quia dum miſcentur carnalitèr, propter prolem vnicè miſceri debent, & ad hoc ſe amare: cùm finis vnicus mixtionis carnalis ſit proles. Et ſi proles ſequatur, eam autem chriſtianè non educent, Chriſtum, & Eccleſiam non amant: quia Chriſti & Eccleſiæ vnio merè eſt ad fidelium propagationem, bonamque educationem in eorum ſalutem. Denique quid dicendum eſt de illis Coniugibus, qui ſeparantur ab inuicem quoad thorum? dicendũ, quòd Spiritum Chriſti non habeant, qui ab Eccleſia Sponſa ſua non receſſit, nec recedet in æternũ;

vndè

vndè *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*. Si autem ob fornicationis cauſam ſeparentur quoad thorum, quod Chriſtus permittit (numquam autẽ quoad vinculum poſt matrimonium conſummatum; quia *quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*) hoc ideò eſt, quia tales, quantum in ſe, eſt, violauerunt Sacramentum Coniunctionis Chriſti, & Eccleſiæ, ſignificando ex parte viri adulteri, quòd Chriſtus duas habere poſſit Eccleſias in vxores, quibus miſceatur per Incarnationem; ex parte verò mulieris adulteræ, quòd Eccleſia poſſit habere duos Chriſtos in viros, quorum vtrumque in ſe & hæreticum eſt, & impium.)

Æſtimetur ergo hoc Sacramentum, tamquã primum fundamentum Societatis, & propagationis humanæ: magnæque venerationi habeatur, quia Incarnationis Chriſti Myſterium eſt.

§. LXIII.

De præparatione neceſſaria ad hoc Sacramentum.

Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. *Matth.* 19.

QVantùm ad præparationem neceſſariam, vt hoc Sacramentum dignè ſuſcipiatur;

præterquam quòd eadem diſpoſitio neceſſaria ſit, quæ ad cætera viuorum Sacramenta, nempè vt vir, & mulier illud recipientes in ſtatu gratiæ Dei exiſtant; inſuper ad proprium huius Sacramenti effectum requiritur, vt Sponſi coniuges futuri, debitum de ſua ad inuicem coniunctione examen ineant, & per proprias preces obtento à Deo inſtinctu, & per interrogationem piorum, ac prudentum virorum accepto conſilio, necnon parentum (ſi quos habent) rationabili aſſenſu, moraliter certificentur, quòd inter ſe ſocialiter viuere, & prolem chriſtianè educare poterunt. Contra quam diſpoſitionem directè ambulant, qui alio intuitu, quàm ſocialis Amicitiæ, & Chriſtianæ educationis liberorum, coniugantur: ne dicam ſacrilegè ambulant, qui loco ſanctæ diſpoſitionis ad coniugium, carnaliter ante illud commiſcentur, parantes ſibi viam ad ſanctum ſtatum per actionem diabolicam, Spiritus Sancti excluſiuam: vndè fit vt tales ordinariè peſſimum ſortiantur coniugium, & rarò expient delictum ſuum præcedens; quia carnali intentione coniugantur, quàm rarò deponunt per veram Pœnitentiam.

§. LXIV.

§. LXIV.

De cura conſeruandæ Gratiæ Matrimonialis.

Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. *Matth.* 19.

MAgna ſanè cura adhibenda eſt Coniugibus ad conſeruandam Gratiam ſui coniugij: cum enim ſibi perpetuo cohabitare debeant,& mutuos defectus ſupportare,inuicem adiuuare,prolem ſimul educare, haud dubium eſt,& experientia notum,quod ad prædicta maxima gratia indigeant,per quam maximo Charitatis amore ſe diligant: quo deficiente,in prędictis deficient.Hanc autem gratiam conſeruabunt,ſi quotidianas ad Patrem æternum preces fundant,per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cuius cum Eccleſia Coiunctionem ſua coniunctione repræſentant.

§. LXV.

De Fidei Diuina.

Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui autem non crediderit, condemnabitur. *Marci.* 16.

PRimus Gratiæ diuinæ effectus eſt lumen fidei:nam gratia Dei ad hoc datur, vt ho-

homo ſeſe illi ſubijciat: prima autem ſubiectio hominis ad Deum eſt ſubiectio intellectus: quia cum homo, vt homo, ſeu vt rationalis, duabus ſolum potentijs conſtet, ſcilicet intellectu & voluntate; atque voluntas hominis in nihil naturaliter feratur, quin aliquo modo illud intelligat; neceſſe eſt ad hoc vt feratur in aliquid nullo modo naturaliter intellectum, quod aliquo ſuperiori lumine illuſtretur, cuius ductum ſequatur, captiuato proprio intellectu: illud autem lumen deſurſum affulgens à Patre luminum, eſt lumen fidei: ac proinde primus gratiæ effectus.

§. LXVI.

Rationes credibilitatis.

Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. *Matth. 5.*

LIcet verò homo, dum credit, non intelligat id, quod credit; tamen cum rationalis ſit, debet habere rationes, cur credat, & cur potius credat hoc, quam iſtud: alioquin non diſtingueret ſuam fidem à fide hæreticorum, nec ſuam Religionem à religione Paganorũ, aut Iudæorum, vnde neceſſarium eſt aſſignare aliquas veræ fidei notas diſtinctiuas eiuſdem à falſis opinionibus reliquarum ſectarum.

Et quia fides omnium hominum eſſe debet, certum eſt quod rationes credendi non debeãt

eſſe

eſſe demonſtrationes philoſophicæ, quarum percipiendarum maxima pars hominum eſt incapax; ſed morales & quodãmodo ſenſibiles, id eſt, omnium hominum capacitati conueniẽtes. Has autem rationes præclarè deducit & proſequitur Catechiſmus Romanus explicans articulum nonum Symboli fidei de vera Eccleſia, cuius proprietates aſſignat numero 13. pag. 80. editionis Pariſienſis, ita incipiens, & per ſequentes numeros proſequens vſque ad finem articuli: Aperiendæ autem ſunt fidelibus huius Eccleſiæ proprietates, ex quibus licebit agnoſcere quanto beneficio à Deo affecti ſint, quibus contigerit in ea naſci, atque educari.

Prima igitur proprietas in Symbolo Patrum deſcribitur, vt *Vna ſit*; *Vna enim*, inquit, *eſt Columba mea, vna eſt ſpecioſa mea.* Vocatur autẽ Vna tanta hominum multitudo, quæ tam longè lateque diffuſa eſt, ob eas cauſas, quæ ab Apoſtolo ad Epheſios ſcriptæ ſunt cap. 4. Vnum enim Dominum, vnam fidem, vnum Baptiſmã, tantùm eſſe prædicat: vnus eſt etiam eius Rector, ac Gubernator, inuiſibilis quidem Chriſtus, quem æternus Pater dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt Corpus eius, vt dicitur Eph. 1. Viſibilis autem is, qui Romanam Cathedram Petri Apoſtolorum Principis legitimus ſucceſſor tenet; de quo fuit illa omnium Patrum ratio & ſententia conſentiens, hoc viſibile Caput ad vnitatem Eccleſiæ conſtituendam,

dam,& conſeruandam neceſſarium fuiſſe.

Quod præclarè & vidit & ſcripſit S. Hieronymus contra Iouinianum ijs verbis: Vnus eligitur, vt,Capite conſtituto, Schiſmatis tollatur occaſio. Et ad Damaſum; Faceſſat inuidia;Romani culminis recedat ambitio; cum ſucceſſore Piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt,Cathedræ Petri,communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum Agnum comederit, profanus eſt Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio. Quod & longè antea ab Irenæo probatur,& Cypriano, qui de vnitate Eccleſiæ loquens,ait: Loquitur Dominus ad Petrum:*Ego, Petre, dico tibi quia tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Super vnum ædificat Eccleſiam: & quamuis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat.& dicat:*Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos;accipite Spiritum Sanctum;Ioannis* 20.tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem,ab vno incipientem, auctoritate ſua diſpoſuit, &c.Optatus deindè Meleuitanus ait: Ignorantiæ tibi adſcribi non poteſt, ſcienti in vrbe Roma(ſcribit autem hic ad Parmenianum initio lib 2.)Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus:in quo vno Cathedræ

dræ

dræ vnitas ab omnibus ſeruaretur,ne cæteri A-poſtoli,ſingulas ſibi quiſque defenderent:vt iam ſchiſmaticus,& præuaricator eſſet,qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. Poſt vero Baſilius ſic ſcriptum reliquit: Petrus collocatus eſt in fundamento: dixit enim: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*: & viciſſim audiuit, ſe eſſe petram. Licet enim petra eſſet, non tamen petra erat, vt Chriſtus. Nam Chriſtus verè immobilis petra: Petrus verò propter petram. Dignitates enim ſuas Deus largitur alijs: Sacerdos eſt,& facit Sacerdotes: petra eſt, & petram facit & quæ ſua ſunt largitur ſeruis ſuis. Poſtremò verò S. Ambroſius ait; ſi quis obijciat, Eccleſiam, vno Capite & Sponſo Ieſu Chriſto contentam, præterea nullum requirere, in promptu reſponſio eſt. Vt enim Chriſtum Dominum ſingulorum Sacramentorum non ſolum Auctorem,ſed intimum etiam prębitorem habemus (nam ipſe eſt, qui baptizat,& qui abſoluit,& tamen is homines Sacramentorum externos miniſtros inſtituit) ſic Eccleſiæ,quam ipſe intimo ſpiritu regit,hominem ſuæ poteſtatis Vicarium,& miniſtrum præfecit. Nam cum viſibilis Eccleſia viſibili Capite egeat,ita Saluator noſter Petrum vniuerſi fidelium generis Caput & Paſtorem conſtituit, cum illi oues ſuas paſcendas verbis ampliſſimis commendauit,vt qui ei ſucceſſiſſet eandem plane totius Eccleſię regendę,& gubernandę poteſtatem habere voluerit. *Vnus præterea*

idem-

idemque eſt Spiritus inquit Apoſtolus ad Corinthios, *qui fidelibus gratiam perindè atque anima corporeis membris vitam impertitur.* Ad quam vnitatem ſeruandam cum Epheſios hortaretur, inquit: Soliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, vnum corpus, & vnus ſpiritus. Quemadmodum enim humanum corpus multis conſtat membris, eaque ab vna anima aluntur, quæ oculis viſum, auribus auditum, & alijs ſenſibus diuerſas vires ſubminiſtrat: ita Corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia, ex multis fidelibus compoſitũ eſt. Vna quoque eſt ſpes, vt in eodem loco idem Apoſtolus teſtatur, ad quã vocati ſumus. Siquidem omnes eandem rem, nempè æternam, & beatã vitam ſperamus. Vna eſt denique fides, quæ omnibus tenẽda eſt, ac prę ferenda: nõ ſint, inquit Apoſtolus, in vobis ſchiſmata: atque vnum Baptiſma, quod quidem eſt Chriſtianæ fidei Sacramentum.

Altera proprietas Eccleſiæ eſt, vt ſit *Sancta:* quod à Principe Apoſtolorum accepimus eo loco: *Vos autem genus electum, gens ſancta.* Appellatur autem ſancta, quod Deo conſecrata, dedicataque ſit. Sic enim cætera huiuſcemodi, quamqam corporea ſint, ſancta vocari cõſueuerũt, cum diuino cultui addicta, & dedicata ſunt. Cuius generis ſunt in Lege veteri vaſa, veſtes & altaria; in quã primogeniti quoque, qui Deo Altiſſimo dedicabantur, ſancti ſunt appellati. Nec mirum cuiquam videri debet, Eccleſiã dici San-

Sanctam, tameſi multos peccatores contineat: Sancti enim vocantur fideles, qui populus Dei effecti ſunt quiue ſe fide, & baptiſmate ſuſcepto Chriſto conſecrarunt; quamquam in multis offendunt,& quæ polliciti ſunt,non prȩſtant. Quemadmodum etiam qui aliquam artem profitẽtur,etſi artis prȩcepta non ſeruent,nomen tamen artificum retinent.Quare D.Paulus Corinthios ſanctificatos, & ſanctos appellat:in quibus nonnullos fuiſſe perſpicuum eſt,quos,vt carnales,& grauioribus etiam nominibus,acriter obiurgat.

Sancta etiam dicenda eſt; quòd veluti Corpus cum ſancto Capite Chriſto Domino totius ſanctitatis fonte coniungitur, à quo Spiritus Sancti Chariſmata,& diuinæ Bonitatis diuitiæ diffunduntur:Præclarè S. Auguſtinus interpretans verba illa Prophetæ. *Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum*; audeat, inquit, & Corpus Chriſti, audeat & vnus ille homo clamans à finibus terræ cum Capite ſuo, & ſub Capite ſuo dicere, ſanctus ſum, accepit enim gratiam ſanctitatis, gratiam Baptiſmi, & remiſſionis peccatorum. Ac paulò poſt; ſi Chriſtiani omnes & fideles in Chriſto baptizati, ipſum induerunt, ſicut Apoſtolus dicit; quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis; ſi membra ſunt facti Corporis eius, & dicunt ſe ſanctos non eſſe, Capiti ipſi faciunt iniuriam,cuius membra ſancta ſunt. Accedit etiam quòd ſola Eccleſia legitimum ſacrificij cultum, & ſalutarem habet

Sa-

Sacramentorum vſum, per quæ tanquam efficacia diuinæ gratiæ inſtrumenta Deus veram ſanctitatem efficit; ita vt quicumque verè ſancti ſunt, extra hanc Eccleſiam eſſe non poſſint. Patet igitur Eccleſiam eſſe ſanctam, ac ſanctam quidem; quoniam Corpus eſt Chriſti, à quo ſanctificatur, cuiuſque ſanguine abluitur.

Tertia proprietas Eccleſię ea eſt, vt *Catholica*, nempè vniuerſalis vocetur, quæ appellatio verè illi tributa eſt; quoniam vt teſtatur Sanctus Auguſtinus, à Solis ortu vſque ad occaſum vnius fidei ſplendore diffunditur. Neque enim vt in humanis Rebuſpublicis, aut hæreticorum conuentibus vnius tantùm Regni terminis, aut vno hominum genere Eccleſia definita eſt: verùm omnes homines, ſiue illi barbari ſint, ſiuè Scythæ, ſiue ſerui, ſiue liberi, ſiuè maſculi, ſiue fœminæ, charitatis ſinu complectitur. Quare ſcriptum eſt: *Redemiſti nos Deo in Sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum*. *Apoc*. 5. De Eccleſia dicit Dauid: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. P*ſal*. 2. Item. *Memor ero Rahab, & Babylonis ſcientium me. Pſal*. 86. Et: *Homo natus eſt in ea*. Præterea omnes fideles, qui ab Adam in hunc vſque diem fuerunt, quiuè futuri ſunt, quamdiù mundus extabit, veram fidem profitentes, ad eandem Eccleſiam pertinent, quæ ſuper fundamento Apoſtolorum fundata eſt, ac

Pro-

Prophetarum, qui omnes in illo lapide angulari Chriſto, qui fecit vtraque vnum,& pacem ijs, qui propè, & ijs qui longè,annuntiauit, conſtituti ſunt, & fundati. Vniuerſalis etiam ob eam cauſam dicitur, quod omnes, qui ſalutem æternam conſequi cupiunt,eam tenere, & amplecti debeant, non ſecus ac qui Arcam, ne diluuio perirent, ingreſſi ſunt.

Hæc igitur veluti certiſſima regula tradenda eſt, qua vera, & falſa Eccleſia iudicetur: ſed ex origine etiam, quam reuelata gratia ab Apoſtolis ducit, Eccleſiæ veritatem agnoſcimus: ſiquidem eius doctrina, veritas eſt, non recens, neque nunc primum orta, ſed ab Apoſtolis iam olim tradita, & in omnem orbem terrarum diſſeminata. Ex quo fit, vt nemo dubitare poſſit, impias hæreticorum voces longè à veræ Eccleſiæ fide abeſſe, cùm Doctrinæ Eccleſiæ, quæ ab Apoſtolis ad hanc diem prædicata eſt, aduerſentur. Quare vt omnes intelligerent, quænam eſſet Eccleſia Catholica, Patres in Symbolo illud diuinitùs addiderunt, *Apoſtolicam*. Etenim Spiritus Sanctus, qui Eccleſiæ præſidet, eam non per aliud genus miniſtrorum, quàm per Apoſtolicum gubernat. Qui Spiritus primùm quidem Apoſtolis tributus eſt, deindè verò ſumma Dei benignitate ſemper in Eccleſiá manſit. Sed quemadmodùm hæc vna Eccleſia errare non poteſt in fidei, ac morum diſciplina tradenda, cùm à

Spi-

Spiritu Sancto gubernetur: ita cæteras omnes, quæ ſibi Eccleſiæ nomen arrogant, vt quæ Diaboli Spiritu ducantur, in doctrinæ, & morum pernicioſiſſimis erroribus verſari neceſſe eſt. Vide ſequentia in ipſo Cathechiſmo.

Ex iſtis autem notis, ſcilicet vnitatis, ſanctitatis, vniuerſalitatis, & Apoſtolicæ, dicitur Eccleſia, ſicut Ciuitas ſupra montem poſita; quia apparet omnibus eius vnitas, ſanctitas, vniuerſalitas, & perpetua ab Apoſtolis, quorum doctrinam profitetur, traditio. Quæ omnia ſaltem ſimul ſumpta nullis alijs ſectis competunt. Et quia ad veram Eccleſiam illa quatuor ſimul ſumpta neceſſaria ſunt; idcircò euidens eſt, cæteras ſectas eſſe falſas, cùm aliquem ſemper defectum contineant, qui à bono Deo ſummè Veraci eſſe non poteſt.

Hinc nihil humanæ rationi (attenta infirmitate, & miſerijs humanæ naturæ) magis conformе eſſe poteſt, quàm Euangelium, quod eſt regula veræ Eccleſiæ ſecundùm ſenſum ab eadem traditum.

§. LXVII.

§. LXVII.

De neceſſitate credendorum.

Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum Vnigenitum daret: vt omnis, qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt: quia non credit in nomine Vnigeniti Filij Dei. *Ioannis* 3.

Euntes..., docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis. *Matth.* 28.

Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit: *Lucæ* 10,

Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus. *Matth.* 18.

DIſtinguunt Theologi inter credenda, aſſerentes quædam eſſe credenda neceſſitate medij ad ſalutem: quædam verò ſolùm neceſſitate præcepti. Illa autem dicuntur neceſſariò credenda neceſſitate medij, ſine quorum fide nullo modo poteſt adultus ſaluari, etiamſi hic & nunc illa inuincibiliter ignoret. Talia ab omnibus aſſerũtur eſſe hæc duo, quod Deus ſit, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit, iuxta illud Pauli: *Oportet accedentem ad Deum credere quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit*: & à multis modernis Caſuiſtis illa duo ſufficere dicuntur. Verùm quia cum fide illorum duorum ſtat ignorantia Saluatoris,

ris, & Mediatoris Dei & hominum Hominis Chriſti IESV, extra quem non eſt ſalus;idcircò dico inſuper requiri fidem eiuſdem Mediatoris: quia ſimiliter dicitur: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret; vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam .... qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt,quia non credit,in nomine Vnigeniti Filij Dei:* non dicit qui diſcredit, ſed *qui non credit*: nec dicit, qui ſciens, & volens non credit, ſed abſolutè, *qui non credit,iam iudicatus eſt*. Idcircò ex hoc Textu euidenter colligitur, quod ſaltem poſt Chriſti aduentum in hunc mundum, poſt eius mortem, quam ſignificare voluit per exaltationem ſuam in Cruce adinſtar exaltationis ſerpentis Ænei in deſerto, poſt illius reſurrectionem, & miſſionem Spiritus Sancti,denique poſt ſufficientem Euangelij prædicationem, neceſſariò neceſſitate medij ad ſalutem explicitè credendum eſſe, quòd Chriſtus Filius Dei Viui in natura humana ſit pro nobis mortuus: & quia iuxta S. Paulum; *Si Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides noſtra*; 1. *Cor*. 15: idcircò eadem neceſſitate credendum eſt,Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, quà creditur,illum pro nobis mortuum eſſe.

Quòd verò Apoſtolus ad Hebræos 11. non nominauerit Dominum noſtrũ IESVM Chriſtum, quando dixit: *Oportet accedentem ad*

Deum

Deum credere quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit: non mirum eſt, quia in iſto cap. 11. tantùm agebat de fide Patrum antiqui Teſtamenti, in quo clarè de Domino Deo fiebat mentio, & tantùm obſcurè, & quaſi per velamen de Domino noſtro IESV Chriſto, quem viri ſancti in iſto capite nominati in ſpiritu viderunt, & crediderunt, vt in Euangelio dicitur de Abraham ab ipſomet Domino Chriſto: *Abraham exultauit vt videret diem meum: vidit & gauiſus eſt. Ioannis* 8. At in ſequenti capite idem Apoſtolus tractans de Chriſto iam reuelato, ſatis ſignificat eiuſdem fidem in Nouo Teſtamento eadem neceſſitate neceſſariam ad ſalutem apud omnes, qua erat neceſſaria fides vnius Dei tamquam exiſtentis, & bonorum remuneratoris in Antiquo Teſtamento: ſic enim poſt enarratam fidem antiquorum cap. 11. orditur caput 12. per modum concluſionis: *Ideoque, & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus, ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in Auctorem fidei, & Conſummatorem IESVM, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem, confuſione contempta, atque in dextera ſedis Dei ſedet*. Quaſi diceret, ſic credamus in Chriſtum in Nouo Teſtamento, ſicut illi crediderunt in Deum in Antiquo: nempè quod Chriſtus ſit Deus Homo pro nobis mortuus, & à mortuis rediui-

uus, qui modo in dextera ſedis Dei ſedet, Iudex futurus viuorum, & mortuorum: quia Deus Pater ponendo illum in dextera ſua, dedit illi poteſtatem iudicium facere.

Verùm quia iuſtus ex fide viuit,& ſola fides, quæ per dilectionem operatur, nos ſaluat, & dilectio, ſeu charitas diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis; propterea fides Spiritus Sancti, per quem iuſtificamur à peccatis, & notitia Gratiæ Chriſti medicinalis, & victorioſæ, ſeu efficacis, qua nos iuſtificat, & quam rogare debemus, vt iuſtificemur & ſaluemur, nobis neceſſaria eſt neceſſitate medij ad ſalutem: ne dicamur ſaluari ignorantes per quem, & cuius virtute iuſtificemur, an ſcilicet alienis,an proprijs viribus. Idcircò Chriſtus tam frequentèr in Euangelio fecit mentionem Spiritus Sancti à Patre, & à ſe mittendi: & Apoſtoli tàm frequenter gratiam Dei per IESVM Chriſtum Dominum noſtrum, ſine qua nihil poſſumus, commendarunt. Addito, quòd Spiritus Sanctus, velut Perſona Diuina æqualis Patri, & Filio, eadem ratione ſit credendus, neceſſitate medij ad ſalutem, qua Pater, & Filius, vtpotè exiſtens Spei, & Beatitudinis noſtræ eſſentiale obiectum.

Accedit, quòd ſicuti ſine Baptiſmo nullus paruulus poteſt ſaluari, quia dicitur; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt*

teſt introire in Regnum Dei; *Ioann.* 3. ita dicitur à Chriſto ipſis Apoſtolis: *Euntes docęte omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sācti docētes eos ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis. Matth.* 28. Et dicitur: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluabitur, qui autem non crediderit, condemnabitur. Marci* 16. Vndè præter ante dicta, diceremetiam creditu neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medij, quòd oporteat ſeruare mandata Dei, ſaltem illa, quorum ratio eſt homini innata, & quorum fides ex fide Chriſti euidenter ſequitur, vt quòd ſit agenda pœnitentia de præteritis, & cauendum à futuris peccatis, & ambulandum in virtute Chriſtiana.

Illa verò dicuntur neceſſariò credenda neceſſitate præcepti, ſine quorum fide expreſſa poteſt abſolutè adultus ſaluari, ſi illa inuincibilitèr ignoret; non poteſt tamen ſaluari, ſi illa ſcire poſſit, ſaltem quoad ſubſtantiam, & tamen diſcere contemnit, aut negligit. Talia ſunt ſeptem Eccleſiæ Sacramenta; item illi articuli Symboli, qui reducuntur ad capitales articulos, v.g. quod Chriſtus ſit natus ex MARIA Virgine, quòd ſit Paſſus ſub Pontio Pilato, quòd ſit ſepultus, quòd deſcenderit ad inferos, quòd aſcenderit viſibiliter ad Cælos, quòd ſedeat ad dexteram Dei Patris Omnipotentis; qui articuli reducuntur ad articulos Conceptionis, Mortis, & Reſurrectionis. Tales

etiam ſunt ſequentes articuli,qui de facili poſ-ſunt reduci ad articulos de perſona Spiritus Sancti, vt quod ſit vna Eccleſia in ipſo coadunata, quòd ſit communio Sanctorum. Quantum ad decem Præcepta Decalogi, oportet neceſſitate præcepti illa ſcire quoad ſubſtantiam, & ſecundùm occurrentiam practicare; alioquin non videtur, quòd neceſſitate medij, quis debeat plus ſcire, quàm quòd Dominus Deus ſit ex toto corde diligendus, & proximus ſicut alter ego. Quantum ad præcepta Eccleſiæ, oportet illa ſcire tantum neceſſitate præcepti v,g. quòd Feſta ſint celebrā-da, quòd ſtatutis temporibus ſit ieiunandum, quòd ſit confitendum ſemel in anno, imò etiā in tota vita, quatenus eſt Præceptum diuinum poſitiuum pro relapſis, quòd in Paſchate ſit communicandum.

Ratio cur hęc & ſimilia minùs ſint credenda neceſſitate medij ad ſalutem, quàm præcedentia, eſt, quia in iſtis præcedentibus vel immediatè conſiſtit noſtra ſalus, ad quam aſpirare debemus,vel ſunt media,ſine quibus nullo modo poſſumus ad noſtram ſalutē peruenire. Cōſiſtit verò noſtra ſalus (vt dictum eſt) in viſionē vnius Dei, & Trinitatis Diuinarum perſonarū.

Et niſi credamus expreſsè, quod Deus inquirentibus ſe remunerator ſit, ac proindè iudicaturus omnes homines,vt reddat vnicuique ſecundùm opera ſua, ad illam viſionem non aſpi-

aſpirabimus, nec ſperabimus in hoc ſtatu naturæ lapſæ nos poſſe ad illam peruenire, niſi cognoſcamus Mediatorem, qui per mortem,& Reſurrectionem ſuam ad illam peruenit,nobiſque viam aperuit mediante ſua gratia,qua diffundit in cordibus noſtris charitatem per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Neque Pœnitentiam agemus de peccatis præteritis, aut virtutes Chriſtianas exercebimus, niſi credamus, quòd qui creauit, & redemit nos ſine nobis, non ſaluabit nos ſine nobis, id eſt, ſine noſtra cooperatione.

In alijs autem credibilibus vel non conſiſtit noſtra ſalus, vel non ſunt media abſolutè neceſſaria ad noſtram ſalutem, vel de facili ad illa reducuntur; ita vt illis creditis, facilè & hæc credantur, ſi proponantur.

§. LXVIII.

De Profeſſione Fidei.

Qui me erubuerit, & meos ſermones · hunc Filius hominis erubeſcet,cum venerit in Maieſtate ſua, & Patris, & Sanctorum Angelorum. *Lucæ* 9.

CVm Eccleſia vnum corpus conſtituat, cuius Caput eſt Chriſtus, & fideles membra, manifeſtum eſt, quòd capiti ſuo omnia membra debeant conformari: iam autem habemus ex Euangelio, quòd Chriſtus exiſtens

ſub Iudice Pontio Pilato, & interrogatus, an eſſet Rex Iudæorum, dixit: *Tu dicis, quia Rex ſum ego*;ac per conſequens tenetur Chriſtianus interrogatus à Iudice infideli, an ſit Chriſtianus, etiam Catholicus Romanus (quia extra Romanam non eſt verus Chriſtianiſmus) reſpõdere, quod ſit: alioquin dicit Chriſtus: *Qui me erubuerit coram hominibus, erubeſcam & ego eum coram Patro meo qui in Cælis eſt*; *Lucæ* 9. & Paulus ſignificare volens, quòd non ſufficiat credere corde, ſed etiam oporteat confiteri,id eſt,ſuam fidem coram hominibus profiteri,ait: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem*. *Rom.* 10. Quia verò ad ſalutem non eſt neceſſe eſſe Monachum, aut Sacerdotem; ideõ non eſt etiam neceſse apud Iudicem perſecutorem Monachorum, aut Sacerdotum, & de alterutro ſtatu interrogantem,ei reſpondere: ſed licet ſubterfugere abſque mendacio, vel apertè ei dicere, quid hoc ad te? ego ſum ſeruus Chriſti, etiam pro illo mori paratus.

Quod ſi particulares, ad quos nullo modo ſpectat nos interrogare, inquirant à nobis,cuius religionis ſimus; tantùm abeſt, vt illis reſpondere debeamus; quin è contra conueniat illos interrogare, qua auctoritate hoc interrogent, & vtrum Dij ſint, quibus Religio debeatur, vtpotè qui de noſtra Religione ſunt tàm ſoliciti. Expedit etiam vt illis dicatur, vt viderint ipſi cuius Religionis ſint, vt illum,

quem

quem ſolum adorare debent, adorent,& ſic ſuo muneri ſatisfaciant, magis ſoliciti de ſe ipſis, quàm de alijs, quorum cura ipſis non incũbit.

Hoc enim aduertendum eſt in materia Religionis, veritatem in duplici caſu eſſe dicendam: primò quando interrogamur à Iudice habente hic, & nunc in nos auctoritatem, ſicut Pilatus habebat in Chriſtum; quia tamquã reus illi traditus erat à Primoribus Iudæorum iudicandus. Secundò quando non interrogamur quidem ab habente in nos auctoritatem, ſed ex dicenda veritate plus exſpectamus boni in Chriſtianiſmo, quàm mali: alioquin ſi moralitèr certi ſimus, vel vehementer dubitemus plus mali ſecuturum ex dicenda veritate, quàm boni, ſilere, & interrogantem eludere, ſine mendacio tamen, debemus.

Quæres an aliquis poſſit eſſe verus Chriſtianus in corde cum propoſito numquam confitendi Chriſtum exteriùs, vel cum propoſito differendi iſtam confeſſionem vſque ad mortem propter rationes politicas, vel mundanum timorem? Reſpondetur, quòd non: *quia corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem*: Vndè tam neceſſaria eſt ad ſalutem confeſſio oris, quàm ad iuſtitiam fides cordis, de qua nemo dicet, quòd poſſit numquam elicere ſuum actum, vel illum differre vſque ad articulum mortis.

Quæres iterum an ſufficiat confiteri ſe eſſe

Ca-

Catholicum apud Catholicos, & viuere inter hæreticos quaſi hæreticum, inter Paganos tamquam Paganum, &c. vel ſaltem an liceat inter illos habitando perpetuò ſuam fidem Catholicam celare? Reſpondeo quòd non: primò quia numquam licet profiteri contra ſuam fidem, quia hoc eſſet ſuam fidem negare, ſicuti Petrus negauit Chriſtum: ſecundò non licet diſſimulare fidem ſuam apud illos, cum quibus habitamus, & conuiuimus; quia hoc eſſet illos ſcandalizare, cùm meritò putarent talem diſſimulatorem nullius eſſe fidei; quia nullam exteriùs profiteretur, & ita hoc eſſet erubeſcere Chriſtum coram hominibus. Quinimò ex generoſa apud Iudices, & ingenua apud domeſticos, & conciues Chriſti confeſſione, nonniſi bonum Eccleſiæ natum eſt ſequi, licet malo temporali ipſius confitentis, quod Eccleſiæ bono etiam temporali, & ipſiuſmet confitentis ſpirituali bono cedere debet.

§.LXIX.

De Spe Diuina.

§. LXIX.

Omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. *Ioannis*.11.

QVandoquidem fides diuina ſit ſperandarum ſubſtantia rerum, ad ſperandum planè requiritur, vt quis credat finem eſſe poſſibilem, & media ad illum conſequendum eſſe poſſibilia, eaque nonnullis dari, & confidat ſe ex iſtis nonnullis eſſe. Vnde ſpes diuina reſpicit finem, & media ſuperius deſcripta, agendo de ijs quæ ſunt creditu neceſſaria neceſſitate medij, aut præcepti ad ſalutem: & inſuper facit vt ſperans actuali deſiderio feratur in ſummam Bonitatem Diuinam, tamquam principium & finem ſuæ ſalutis, nec non fiduciali affectu innitatur Omnipotentiæ Diuinæ tamquam virtuti in illam bonitatem perducenti, & meritis Chriſti tamquam cauſæ meritoriæ Deum mouenti, vt ſperans in eum non confundatur.

§. LXX.

De Charitate.

Diligite inimicos voſtros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: vt ſitis filij Patris veſtri qui in cælis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos ... eſtote ergo vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. *Matth.*5.

QVamquam fides neceſſariò præcedat ſpē, in quantum eſt ſperandarum ſubſtantia rerum; & charitatem in quantum eſt argumentum, ſeu conuictio non apparentium, quæ licet non intellecta amare præcipimur: vt eſt Deus in perſonis trinus, & Filius Dei incarnatus: vt etiā eſt proprius inimicus, iuxta illud Chriſti: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui vos oderunt*: quod ratio non capit, ſed ſola fides in Chriſtum, qui nobis hoc præcepit, & exemplo ſuo faciendum monſtrauit orando pro ſuis crucifixoribus: tamen quia fides noſtra non poteſt operari niſi per dilectionem, nec eſt fundamentum ſperandi obtinere ſibi beatitudinem Dei, niſi quis Deum propter ſe diligat, & proximum propter Deum: idcircò licet fides præcedat ſpem & charitatem in ordine generationis ſeu intētionis (vt Theologi ſcholaſtici loquūtur) charitas nihilominus præcedit fidem & ſpem in ordine executionis, ſeu applicationis ad a-

ctum,

id eſt,vt ijdem Theologi loquuntur, in ordine perfectionis. Explico primum. Nemo ſperat, quod non credit,nemo amat,quod non credit; quia ſicuti nullus eſt appetitus naturalis,vbi nullus præceſſit intellectus aut ſenſus boni appetitũ generans;ita nullus eſt amor ſupernaturalis, vbi fides, quæ charitatem generat,non præceſſit.

Explico ſecundum. Nemo ex fide viuit, ſeu operatur, qui non amat illud propter quod operatur, cum primus voluntatis actus ſit amor finis,& amor finis ſit cauſa applicationis mediorum ad finem: omnis enim operans voluntariè,aliquem finem intendit:vnde nemo etiam ex ſpe conſequendorum æternorum bonorum operatur,nſi qui Deum æternorum bonorum fõtem diligit. Quinimo in ordine generationis fidei & ſpei inhærentis, ſiue (ut aiunt) habitualis, neceſſariò præcedit aliquis actus amoris diuini,quo quis libenter captiuat ſuum intellectum in obſequiũ primæ veritatis,vt ei credat,& quo quis propriũ bonũ, & proprias vires cupit deſerere, vt ſe totum per ſpem diuinæ Bonitati & Omnipotentiæ committat. Alioquin ſi non plus amaret diuinam veritatem propter ſe, quã proprium intellectum,non crederet: & niſi magis deſideraret adhærere diuinæ bonitatj in ſe quam proprio bono, & inniti Omnipotentiæ diuinæ magis, quam propriis viribus,non ſperaret.

Nihilominus talis actus amoris ad fidem & ſpem

ſpem neceſſarius,non eſt actus perfectæ charitatis,quæ iuſtificat impium ; quia fieri poteſt, quod non obſtante tali actu,homo non deſerat peccatum,nec operetur bonum Deo acceptum: quia credit quidem peccatum deſerendum , & bonum faciendum,& expectat à Deo auxilium, nec tamen peccatum deſerit, nec bonum facit iuxta illud : *Deſideria occidunt pigrum:noluerunt enim quidquam manus eius operari: Tota die concupiſcit & deſiderat ; qui autem iuſtus eſt, tribuet, & non ceſſabit.* Iuſtus autem eſt,qui viuit ex fide per dilectionem operante: nam dilectio Dei eſt principium omnis boni operis , ſicut dilectio mundi eſt principium omnis mali operis.

Hinc Auguſtinus conſiderans nullam eſſe veram virtutem , niſi qua rectè viuitur , definiuit virtutem ſic: bona qualitas mentis , qua rectè viuitur, & qua nullus male vtitur , & quam Deus in nobis ſine nobis operatur:addens illud vltimum, quam Deus in nobis , &c. quia omnis vera ſeù perfecta virtus eſt ſupernaturalis , cum per veram virtutem homo propter ſolum Deum operetur;operatur autem propter ſolum Deum ex puro amore Dei,qùi eſt amor charitatis attollens hominem ſupra ſeipſum (quod naturaliter fieri nequit) & ſoli Deo vniens , id eſt,vnum ſpritum cum Deo faciens. Vnde idem Auguſtinus definiuit alibi virtutem per ipſum amorem, dicens, quod virtus ſit ordo amoris, ſeu amor ordinatus;ita enim libro de moribus

Ec-

Eccleſiæ Catholicæ cap. 15. ait: Illud, quod quadripartita dicitur virtus, ex ipſius amoris vario quodam affectu dicitur, vt temperantia ſit amor integrum ſe præbens ei, quod amatur; fortitudo amor facile omnia tolerans propter illud, quod amatur; iuſtitia amor ſoli amato ſeruiens, & propterea rectè dominans; prudentia amor, ea, quibus adiuuatur, ab ijs, quibus impeditur, ſagaciter eligens. Vnde reducens omnia præcepta ad charitatem, & omnes prohibitiones ad cupiditatem alio loco dicit: Quod Scriptura non præcipit niſi charitatem, & non culpat niſi cupiditatem, & eodem modo informat mores hominũ. Fides ergo & ſpes in peccatoribus non ſunt perfectæ virtutes, quia non procedunt ex radice charitatis: ſunt tamen diſpoſitiones ad perfectam virtutem, veluti quædam virtutis initia.

§. LXXI.

Concordia Moralis Chriſtianæ Naturalis cum Supernaturali

Ecce noua facio omnia. Apoc: 21.

ITaque dum ſuperiùs diſtinxi Moralem Chriſti Naturalem à Supernaturali, non fuit meæ intentionis docere, quod detur amor naturalis in homine, qui ſit principiũ vllius veræ virtutis (amor enim naturalis per ſe affigit homi-

minem ſibi ipſi,vtpote ſibi coniunctiſſimo,tamquam vltimo fini eorum omnium, quæ amantur naturaliter) ſed mea intentio fuit docere, quod amor naturalis qui in Adam innocente erat rectus propter gratiam primi ſtatus libero arbitrio ſubiectam,& fuit peruerſus per peccatum , ſit rectificatus in Adam corrupto per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanantem & libero arbitrio dominantem . Licet enim hæc gratia primo & principaliter producat in homine fidem,ſpem,& charitatem in Deum, quatenus captum noſtrum tranſcendit, concomitanter tamen ſanat vulnera noſtræ naturæ, reſtituendo intellectui lumen naturale, voluntati rectitudinem naturalem,& diminuendo in mēbris concupiſcentiam,nec non vires præbendo efficaciſſimas ad ſuperandum torrentem corruptæ naturæ in omne genus vitiorum impellentem & trahentem . Igitur omnis verus Dei amor, ſiue ſit naturalis ex parte obiecti, quatenus Deus vt auctor naturæ naturaliter cognoſcitur , ſiuè ſit ſupernaturalis ex parte eiuſdem obiecti , quatenus Deus per fidem cognoſcitur; equidem ſemper eſt ſupernaturalis ex parte finis ; quia natura hominis numquam aſſurget ſupra ſe ipſam inhærendo Deo tamquam fini vltimo , niſi adiutorio gratiæ eleuetur: hæc autem gratia in Adam (vt dixi)fuit ſubiecta libero arbitrio,& naturæ debita,quia ſine illa nō potuiſſet benè operari referendo omnia ſua in finem

finem vltimum: In Chriſto vero dominatur libero arbitrio,& eſt naturæ prorsùs indebita, & de hac loquitur Paulus in Epiſt.ad Rom.

Petes quomodò gratia Adæ fuerit gratia, ſi fuerit naturæ debita? Reſpondeo quod non fuerit naturæ debita, quaſi natura illam meruerit: natura enim non extitit ante illam gratiam: ſed fuit naturæ debita ex parte bonitatis, ſapientiæ, & iuſtitiæ diuinæ tribuentis creaturæ omnia ſua neceſſaria, vt ad finem ſuum debito modo pertingat. Igitur illud debitum fuit Deo liberum,ſicut fuit ei liberum condere creaturam ſui capacem.

§. LXXII.

Obligatio omnia referendi in Deum, velut in finem vltimum.

Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique ſecundùm opera ſua. Ego ſum alpha, & omega, primus, & nouiſſimus, principium & finis. *Apoc.* 22.

EX hac capacitate, qua Deus fecit hominē ſui capacem, reſultat naturaliter in homine obligatio omnia ſua referendi in Deum velut finem vltimum, & ideò immediatè ante dixi gratiam fuiſſe naturæ à Deo creatæ debitam, quia ſine illa non potuiſſet benè operari referendo omnia ſua in finem vltimum:nam ad

ſimpliciter benè operandum non ſufficit facere opus ex officio bonum, ſed illud in debitum finem referri debet; nullus autem debitus finis operantis eſſe poteſt, qui ex eiuſdem intentione non ſit vltimus, vel ad vltimum non referatur. Quod ex ſupradicta capacitate ſic oſtendo. Capacitas Dei in homine conſiſtit in hoc, quod habeat intellectum veri, & appetitum boni ſibi à Deo inditum, vt verum bonum ab intellectu propoſitum appetitu proſequatur, & ad illud obtinendum omnes ſuas actiones referat: atqui verum bonum ſimpliciter eſt Deus; ergo homo intellectu & appetitu donatus debet omnes ſuas actiones ad Deum referre: illud autem ad quod cætera referuntur eſt finis vltimus. Neque dici poteſt, quod illud verum Bonum, in quod naturaliter tendit homo per intellectum & appetitum, ſit minus ſummo: nam cum appetitus hominis ſit quodammodo infinitus, nō requieſcit niſi in ſummo, atque adeò non tendit vltimatè niſi in ſummũ, vt in illo quieſcat, id eſt, in Deo. Non etiam dici poteſt, quod Deus donauerit intellectum & appetitum homini, vt quæreret ſummum bonum ſibi per concupiſcentiam, & quod ita ipſe homo ſit finis vltimus ſummi boni, atque adeo homo referat omnia ad ſe: nam imprimis hoc eſt inordinatum, quod perfectum bonum referatur ad imperfectum velut medium ad finem ſuum, cum ratio finis perfectionem includat, & ratio medij imperfectionem: ſiue eſt in-

inordinatum,quod Creator referatur ad ſuam creaturam, quaſi non eſſet niſi propter illam; cum è contra creatura non ſit niſi propter Creatorem: Deus autem nihil inordinatum fecit, quia vidit quæcumque fecit,& erant valde bona,& alibi dicitur, quod Dei perfecta ſint opera. Deinde eſſet contra naturam appetitus hominis,qui tendit quieſcere in fine ſuo vltimo, tamquam bono perfecto; non quieſceret autem in homine,vtpote bono finito & imperfecto: Idcirco appetitus per peccatum inordinatus non quieſcit,quia quęrens ſummum bonum in creaturis,ad illud nnmquam pertingit. Eſt ergo appetitui hominis ordinato prorſus naturale, vt omnia in finem vltimum referat, manetque in ipſo hæc obligatio naturalis etiam poſt peccatum,quod naturalem obligationem Legis Diuinæ euertere nequit. Vnde illud Apoſtolicum, *ſiue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliquid aliud facitis,omnia ad gloriam Dei facite*,præceptum naturale eſt ab Apoſtolo renouatum,nec ſine charitate impleri poteſt, id eſt, ſine amore Dei ſuper omnia,nec per conſequens ſine gratia, quæ charitatis principium eſt.

Hæc doctrina ad Moralem Naturalem pertinebit,ſi conſideretur Deus vt Auctor naturæ, & donorum eius naturalium,ad ſupernaturalem verò ſi ſpectetur Deus ut Auctor fidei & donorum ad fidem pertinentium,eamque conſequẽtium. Eſt ergo peccatum ex inordinatione amo-

ris naturæ corruptæ, quod homo non omnia referat in Deum tamquam finem ſuum vltimũ.

Sed quæritur, an actuali intentione debeat ſemper omnia ſua in Deum referre; Ad quod reſpondeo non eſſe opus, vt hoc faciat intentione actuali reflexa, ſed opus eſſe, vt hoc faciat intentione actuali directa, id eſt, quod ipſius intentio ſit actualiter directa ad hoc, quamuis ad ſuam intentionem hic, & nunc non attendat. Si enim ipſius intentio actu eſſet directa ad aliud, etiam ad aliud ſua referret; quamdiu autem homo operatur, ſemper aliquam intentionem actualem habet, quæ eius actionem in ſuũ finem dirigit: vnde debet homo ceſſare ab omni actione humana, vt nullam actualem intentionem, ſaltem directam habeat. Hæc patent in itinerante, qui tamdiu incedit verſus alquem terminum, quamdiù habet intentionem directam ad illum: ſed dum ceſſat ab iſta intentione ire deſinit; vel ſi mutat intentionem, etiam in contrarium vadit; quamuis inter incedendum ad alia attendat, non aliud hic & nunc intendat, niſi ad eundem terminum, vel finem.

Hæc autem relatio omnium in Deum tamquã finem vltimum non pręcipitur ab Apoſtolo ſub ratione boni, ſed ſub ratione boni conuenientis naturæ rationali dotatæ intellectu & appetitu, non quocumque, ſed rationali, id eſt, voluntate: hoc autem bonum non eſt delectabile, vel vtile, ſed honeſtum, ſeu vt Apoſtolus loquitur, gloria Dei,

Dei,quæ eſt clara cum laude notitia: ita vt homo Deum clarè cognoſcens,illi debeat amore iungi,illum laudare, eiuſque laudem ad omniũ notitiã extendere,vt ſit clara cum laude notitia. Non quod Deo bonum aliquod accedat,quod ab homine clarificetur & laudetur,ſed quia bonum eſt imaginis,quod ſuum prototypum bene repræſentet,& bonum ſimilitudinis,quod amet,ac bonum vtriuſque, quod repræſentatum & amatum omnibus deprædicet , ab omnibus vtique noſcendum, amandum , & deprædicandum, vt omnia eò, vnde: quia Deus principium & finis, alpha & omega, primus & nouiſſimus.

§. LXXIII.

Neceſſitas & efficacia orationis.

Vſque modo non petiſtis quid quam in nomine meo; petite,& accipietis, vt gaudium veſtrum ſi plenum. *Ioannis.* 16

NEceſſitas orationis & exemplo & doctrina Chriſti & Sanctorum tam euidenter nobis probatur,vt de illa dubitare, eſſet in ipſa luce Chriſtianiſmi cœcutire. Fateor quidem Adamo innocenti non ita fuiſſe neceſſariam orationem,quę ſupponit petentis indigentiam,quę erat in Adamo, in quo omnia abundabant ad Paradiſi voluptatem,ſicuti nec fuit illi neceſſa-

ria pœnitentia,quamdiu manſit in innocentia: ſed dico in ſtatu naturæ lapſæ,in qua eſt ſumma indigentia,& ſumma miſeria,ſummã etiam eſſe neceſſitatem orationis ad Deũ, a quo ſolo iſti indigentiæ, & miſeriæ per Chriſtũ Dominũ noſtrum ſuccurri poteſt,& à quo nõ ſuccurritur,dũ in Chriſti nomine vel negligẽtia,vel faſtidio,aut contemptu, ab ipſo neceſſarium ad reſurgendum nõ petitur auxilium, & poſt reſurrectionem à peccato eiuſdem auxilij non petitur fulcimentum vſque ad reditum in Paradiſum,non terreſtrem ex quo Adam eiectus eſt, ſed cœleſtem ex quo Chriſtus deſcendit. Hinc vlterius concludo orationem ad Deum in hoc miſero ſtatu ad tria eſſe neceſſariam,ſcilicet ad reſurgendum à peccato actuali,ad ſtandum contra tentationes,ne quis relabatur,& ad progrediendum in virtute vſque in finem: nam ad iſta tria donum gratiæ adiuuantis nouum & nouum,& quidem medicinale vulnerum in nobis ex peccato relictorum, & victorioſum omnium tentationum nos alliciẽtium ad peccatum, nec non obſtaculorum in via virtutis occurrentium,continuò requiritur.Propterea dicit Propheta: *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi,auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.Pſal.* 120. Propterea dicit Chriſtus: *Vigilate & orate,ne intretis in tẽtationem.* Propterea Apoſtolus ait; *ſine intermiſſione orate. Marci* 14,Præuenit quidem nos Deus,vt oremus,ſed

non

non adiuuat niſi orantes,& vlterius adiutorium non largitur,niſi in quantnm adiuuanti fideles ſumus;nec perducit vſque in finem, niſi tantum oremus, quantum vitæ æternę donum meretur; ita vt perſeuerantia iu oratione fini proportionata vſque in finem ſit neceſſaria, quo obtento orationis ceſſat neceſſitas,quam non poteſt ignorare,niſi qui ſe miſerum ignorat,& miſericordem Deum per mediatorem Chriſtum.Tanta autem eſt huius orationis efficacia, vt penetret cælos,vt per eius vim, quam patitur regnum cælorum,violenti rapiant illud,vt ſit veriſſimum verbum Veritatis: *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo,dabit vobis. Ioannis 16.*

His præmiſſis velut fundamentis totius Moralis Tutioris,reſtat,vt quod dixi in fine Moralis Naturalis,impleam, agendo de obligatione ſingulorum ſtatuum in quibus homines non ſecundum rationem naturalem tantùm, ſed maxime ſecundum fidem, ſpem, & charitatem in Chriſto viuere debent.

§. LXXIV.

De obligatione Papæ, ſeu Summi Pontificis.

Paſce Oues meas. *Io.* 21.

SVpremus Chriſti Vicarius in terris præter eminentiſſimam ſcientiam, & prudentiam ad totam Eccleſiam regendam neceſſarias, debet habere excellentiſſimam charitatem, qua ſit paratus non ſolùm omnia bona terrena, ſed & vitam ſuam pro omnibus, & ſingulis Ouibus ſuis, ſicut bonus paſtor, ponere; ex qua charitate permoueri debet ad vigilandum iugiter ſuper gregem ſuum, procurando illi, tum per ſe, tum per fratres ſuos Epiſcopos, tum per filios paſtores, & cæteros curam animarum habentes, pabulum ſanæ doctrinæ, *quæ eſt ſecundùm Euangelium gloriæ Beati Dei*; procurando etiam Sacramentorum legitimum vſum, iuxta praxim à nobis ſupra deſcriptam, vel quamcumque aliam ſapientiæ Summi Pontificis conuenientem, ſicut decet Petri ſucceſſorem, arcendo etiam, & remouendo à grege ſuo, ac ouili lupos rapaces, qui veniunt in veſtimentis ouium, tradentes doctrinas hominum ſub ſpecie doctrinæ chriſtianæ, & falſum præſeferentes amorem ſalutis eorumdem ſub ſpecie charitatis diuinæ; tum flammam ſuæ charitatis exemplo, & verbo in cordibus omnium

nium accendendo, & viuendo ſicut decet Chriſti Vicarium. Ideò Chriſtus dixit Petro Apoſtolorum Principi, cùm illi gregem ſuũ committeret: *Simon Ioannis diligis me plus his?* addidit ſecundò; *Simon Ioannis diligis me?* addidit tertiò: *Simon Ioannis amas me?* & reſpondenti Petro, *tu ſcis Domine, quia amo te*; bis dixit, *paſce agnos meos*; & ſemel ac vltimò, *paſce oues meas*; ad indicandum illi, quòd deberet habere ſupereminentèm charitatem, maiorem quàm cæteri Apoſtoli, vt paſceret vniuerſum eius gregem; conſtantem minoribus velut agnis, & maioribus ſicut ouibus.

Atque vt illum præpararet ad mortem pro grege ſuo ſuſtinendam, ſtatim ſubiecit nè fortè dignitate ſupremi Paſtoris gloriaretur; *Amē, amen dico tibi; cùm eſſes iunior, cingebas te, cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis*. Hoc autem dixit (inquit Euangeliſta) ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum. Et cùm hoc dixiſſet, dicit ei, *ſequere me*.

§. LXXV.

De obligatione Epiſcopi.

Prædicate Euangelium omni creaturę. *Marci* 16.

IVxta Concilium Tridentinum, Epiſcoporũ onus Angelicis humeris formidandum. Eorum

rum præcipuum munus eſt, verbum Dei prædicare; in Dei laudibus incumbere; hoſtias, laudes, & preces offerre; Sacramentorum vim & vſum explicare; Scripturarum lectionem in menſa adhibere: vigilare, in omnibus laborare, & miniſterium ſuum implere; in ſuis Eccleſijs reſidere; moderatè, ac ſobriè viuere; bonum exemplum ſubditis præbere; humanum erga propinquos carnis affectum deponere; Principibus non inſeruire; Lectorem Theologiæ eligere; malos Prædicatores corrigere; Eccleſijs, in quibus numeroſus populus eſt, alios Sacerdotes adiungere; vitia ſubditorum coarguere; eoſque tamquam filios, & fratres diligere; charitate, non auſteritate corrigere; & meminiſſe ſe Paſtores, non percuſſores, Pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam gerere; Confirmationis, & Ordinis Sacramenta per ſe adminiſtrare, &c. Vide Paulum ad Timotheum, & Titum.

§. LXXVI.

§. LXXVI.

De officio Paſtoris, ſeu Parochi.

Meſſis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergò Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Ite: ecce mitto vos ſicut agnos inter lupos. Nolite portare ſacculum, &c. *Luca* 10

IVxta idem Tridentinum, officium Parochi eſt, prædicare; exponere ea, quæ in Miſſa leguntur; pueros fidei rudimenta, & obedientiam docere; vim & vſum Sacramentorum explicare; ſacra eloquia, & ſalutis monita explanare; ieiunia, dies feſtos, & obedientiam commendare; oues ſuas agnoſcere; pro his ſacrificium offerre; Sacramenta ipſis adminiſtrare, & bono exemplo paſcere; pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere; in ſuis Eccleſijs reſidere; carnis affectum erga propinquos deponere; hoſpitalitatem ſeruare, &c.

Et quia Sacerdotes omnes debent eſſe proximè idonei, vt ſint Parochi, dicitur in eodem Tridentino, quòd Sacerdotes ſint Vicarij Chriſti; Præſides, ac Iudices; Sacramentorum Miniſtri; clauium miniſterium habentes; verbi Dei miniſterium exercere debentes; eorum bonum exemplum maximi eſſe momenti, &c.

Quoniam autem Paſtor, & populus ſunt cor-

correlatiua, dicitur à prædicto Concilio, quòd populus in ſua Parochia teneatur audire verbũ Dei. Nec mirum, quia Parochi eſt prædicare verbum Dei, ergò Parochianorum eſt ex ipſius ore verbum Dei audire; cui enim prædicabit niſi Parochianis ſuis? *Oues meæ* (inquit Supremus Paſtor) *vocem meam audiunt*; *Ioann.* 10. & ad Paſtores dicit; *qui vos audit, me audit*. *Lucæ* 10. Cùm ergò omnes oues Chriſti debeant audire eius vocem, vt ſaluentur, & Chriſtus non amplius loquatur ad aurem corporis, niſi per os Paſtorum gregis ſui, ſequitur, quòd oues ipſius debeant audire vocem eius per os Paſtorum, quos per Spiritum Sanctum conſtituit regere Eccleſiam ſuam, Epiſcoporũ primò, deindè Coadiutorum, quos Parochos, ſeu Curatos appellamus. Idem dicendum de cæteris populi obligationibus officio Parochorum correſpondentibus. Alioquin Paſtor obligatur ad aliquid erga oues, ad quod oues præſtandum non tenentur; in quo manifeſta eſt contradictio: nam ſi teneor paſcere ouem rationalem, ouis rationalis debet velle paſci, & ſumere pabulum, quod illi adminiſtrare teneor.

§. LXXVII.

§. LXXVII.

De obligatione Religioſi.

Qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet,non poteſt meus eſſe diſcipulus. *Lucæ* 14.

REligioſus propriè ſequitur conſilium Pauli dicentis: *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus*. 2. *Tim.* 2. ideò per tria vota ſubſtantialia abdicat à ſe præcipuam iſtorum negotiorum materiam, ſcilicet Prælaturam, & dignitatem per votum obedientiæ, commercium omne in materia proprij per votum paupertatis, & omnem diſtractionem in complacentia ad vxorem per votum caſtitatis, quæ ſunt potiſſima negotia ſæcularia, quibus homines in ſæculo manentes implicantur. Religioſus ergò nihil magis horrori debet habere, quàm Prælaturam, aut dignitatem, quia per illam extollitur, cùm ſit profeſſor humilitatis, & à contemplando Deo diſtrahitur, vacando vitæ actiuæ propter neceſſitatem curæ alienæ, cùm ſe abſtraxerit à ſæculo, & Monaſterio mancipauerit, vt liberiùs ſe totum contemplandæ Veritati daret;ac per cōſequens eidem perfectiùs amandæ, laudandæ, glorificandæ, & ad ſalutem aliorum ſimilibus negotijs implicatorum per preces ſuas interpellandæ, necnon eluendis proprijs peccatis

per pœnitentiam, quæ in ſæculo commiſit per libertatem nimiam. Debet inſuper Religioſus omnem temporalium bonorum ſolicitudinem, ſiuè pro ſe, ſiue pro ſuo Monaſterio à ſe abdicare, quia ſi hoc omnibus Chriſtianis Chriſtus dicat: *Nolite ſoliciti eſſe, quid manducetis, quid bibatis, quo veſtiamini, ſed quærite primùm Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & cætera adijcientur vobis*: Hoc maximè dicit Religioſis, qui fecerunt votum paupertatis, quo maximè voluerunt ſe elongare à ſeruitio mammonæ, vt toti ſeruirent Deo. Denique cùm Religioſus non poſſit habere vxorem, cui placere debeat, nullius mulieris familiaritatem quærat, ne, cui non debet, propter eius illecebras placere incipiat, & placere cupiat; ſicque non tantùm à Deo diſtrahatur propter vxoris neceſſitatem, ſed auertatur propter mulieris cupiditatem.

§. LXXVIII.

De obligatione Regis.

Reges gentium dominantur eorum: & qui poteſtatem habent ſuper eos benefici vocantur. Vos autem non ſic, &c. Ego in medio veſtri ſum, ſicut qui miniſtrat. *Lucæ 22.*

CVm Sapientia æterna dicat, *per me Reges regnant, per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam. Prou.* 8. meritò dicit

Pſal-

Pſalmiſta Rex: *Nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram; ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: Apprehendite diſciplinam nè quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta. Pſal. 2.* Sunt igitur Reges, ac terræ Principes, ac Potentes vaſalli Æternæ Sapientiæ etiam Incarnatæ, quia de Sapientia Incarnata loquitur Dauid in Pſalmo prædicto: *Quare fremuerunt gentes, &c.* Vndè Chriſtus in Euangelio dicit, quod data ſit illi omnis poteſtas in Cælo. & in terra: quòd Pater dederit ei poteſtatem iudicium facere, quia Filius hominis eſt. Vndè Paulus ad Philippenſes loquens de Chriſti humiliatione vſque ad mortem Crucis, addit eam eſſe rationem, cur Deus illum exaltauerit, & dederit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.

Nec hoc mirum eſt, quia acquiſiuit nos Sanguine ſuo, ac propterea eius ſerui ſumus omnes à minimo vſque ad maximum, & nulli alteri poſſumus eſſe ſubiecti, niſi in ipſo, & propter ipſum.

Quemadmodum igitur Vaſallus debet in omnibus Domini ſui præceptum ſequi, eiuſque intentionem reſpicere: ita Reges debent in omnibus ſequi Præcepta Chriſti in Euangelio expreſſa, eiuſque intentionem ſaluandorum hominum, & glorificandi Patris æterni ſpectare,

re, & pro viribus conari adimplere. Idcircò meminerint Reges ſe non gerere arma, nec bellare legitimè, niſi pro conſeruanda Eccleſiæ pace, pro coercendis improbis, & pro vindicandis probis: ſe non præeſſe, vt dominentur ſubditis, ſed vt proſint ſubditis: pro fine habentes in omnibus, vt nulla pereat anima, pro qua Chriſtus mortuus eſt, vt omnes glorificent Patrem, qui dedit Eccleſiæ ſuæ tales Chriſtos, id eſt, vnctos, ſeu Reges, veri Chriſti æmulatores, portantes gladium materialem gladio ſpirituali Sanctæ Matris Eccleſiæ ſubſeruientem.

Ideò debent ſubditi eis honorem, obedientiam, & tributum, peccantque grauiter, qui ex ijs aliquod ipſis ſubtrahunt. Neque Subditorum eſt quantitatem tributi taxare, quia non eſt eorũ neceſſitates publicas examinare. Quod ſi nimis grauentur, debent ſuum grauamen Regi exponere, & ſi non audierit, ſuam cauſam iudicio Dei remittere, & interea pro poſſe Regi ſatisfacere.

§. LXXIX.

Digitized by Google

§. LXXIX.

De obligatione Nobilis.

Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. *Luca* 22.

VErus Nobilis, virtute nobilis eſt, & præſertim oſtenſa in defenſione Eccleſię, pro qua vel ipſe, vel maiores eius ſub Rege ſtrenuè decertarunt; qui idcircò gladio ipſum, aut ipſos cinxit, in ſignum virtutis ab ipſo, vel ab ipſis exercitæ: vndè Nobilis dicitur quaſi noſcibilis propter clarorum factorum excellentiam. Non eſt igitur nomen Nobilis, Nomen vanitatis, ſed virtutis: quod pauci Nobiles benè perpendunt; quia pauci virtutem, plurimi vanitatem ſequuntur, nec gladium gerunt pro defendenda Eccleſia, ſed pro defendendis, & vlciſcendis ſeipſis de inimicis ſuis; vel tantùm vt Nobiles videantur, nihil nobile in corde habentes.

Portet igitur Nobilis gladium ſecundùm ſui nominis primam inſtitutionem, & nobiliter, id eſt, virtuosè, & non turpiter viuat, ſitque Vaſallus Regis, ſicut Rex debet eſſe Vaſallus Chriſti; & nobilitans in terris nobilitabitur in Cælis.

§. LXXX.

De obligatione Iudicis.

Iuſtum iudicium iudicate. *Ioannis 7.*

IVdex ſcientiam iuris habere, iuſtitiam amare, eamque ſine acceptione perſonarum, aut vllo peruerſo affectu adminiſtrare debet. Ad quod erit neceſſarium, vt caueat omnia munera ſiue pecuniarum à manu, ſiue laudum à lingua, ſiue operum ab obſequio: & inſuper vt iuſtitiam omni amicitiæ præferat; adeò vt ſeipſum etiam condemnaret, ſi Iudex conſtitueretur in propria cauſa mala. Atque ne ſuccumbat Potentum minis, ac terroribus, debet Iuſtitiam non ſolùm proprijs bonis fortunæ, ſed etiam propriæ vitæ præponere, vtpotè ab illa iudicandus, pròut ſecnndùm vel contra illam iudicauerit. Debet præterea in audiendis partibus, & legendis proceſſibus diligens eſſe, eumque ſeruare ordinem, qui ſeruatur in Molendino, vt qui primus venit, primus molat (niſi neceſſitas maioris boni aliud poſtulet) audiendo ſcilicet primò eum, qui primus venit ad iudicium, & cuius proceſſus eſt anterior, priùs expediendo, & cuius poſterior, poſteriùs; nec plures cauſas recipiendo, quàm rationabili tempore expedire poſſit, ne

par-

partes ex mora damnum patiantur, vel quoad principale, vel quoad expenſas inutiles. In Iudicio probabili debet ſecundùm maiorem probabilitatem pluùs, ſecundùm minorẽ minùs, & ſecundùm æqualem æquale, Parti, vel Partibus adiudicare. Nec licet illi pro affectu in dubio plus adiudicare vni, quàm alteri: quia iuſtum eſt regula Iudicis, non placitum.

§. LXXXI.

De obligatione Magiſtratus.

Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper.
Ioannis 19.

MAgiſtratus eſt in vrbe, quòd Rex in Regno, ſed cum dependentia, debetque curam ciuitatis habere, ſicut Rex Regni, promouendo virtutes, corrigendo vitia pacem Reipublicæ perturbantia; ad quod non fruſtra gladium portat. Debet iuſtitiam inter priuatos commutatiuam procurare: in muneribus, aut officijs, aut beneficijs, aut eleemoſynis diſtribuendis ſeruare iuſtitiam diſtributiuam; verbo dicam, debet Reipublicæ bono, non ſuo proprio commodo ſtudere: ideò ciues & honorem, & obedientiam, & vectigal Magiſtratui exhibere, & pendere debent.

§. LXXXII.

De obligatione Mercatoris.

Theſaurizate vobis theſauros in Cælo. Vbi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum, *Matth.* 6.

MErcator incepturus commercium cogitare debet, ſe eſſe membrum Reipublicæ non Paganæ, vel Iudaicæ, ſed Chriſtianæ. Et ſicut membrum non eſt propter ſe, ſed propter ſuum totum: ita cogitare debet, quod incipiat mercimonium, non propter priuatam vtilitatem, ſed propter Reipublicæ commodum: & quantum ad ſe, quòd non debeat ſe conſeruare, niſi in iſtud commodum. Quod cætera Reipublicæ membra in ſuis etiam occupationibus cogitare debent, ſi velint eſſe boni Chriſtiani, & pro labore ſuo æternam mercedem accipere.

Hoc cogitato, & firmiter propoſito non ſtudebit auaritiæ, id eſt, diuitijs acquirendis, ſed Reipublicę iuuandæ: atque ita ſemper mercabitur, ſiue vendendo, ſiue emendo, iuſto & rationabili pretio, nec quæret lucrum niſi illud, quod eſt præcisè neceſſarium, vt ſe, ſuoſque conſeruet vtilitati publicæ. Iuſtum autem pretium reputabit illud, quod authoritate publica eſt taxatum, vel prudenti mercatorum

chri-

chriſtianè viuentium iudicio determinatum, præſertim in rebus ad vitæ ſuſtentationem neceſſarijs. Quod addo, quia in rebus merè ad voluptatem ſeruientibus quandoque pretium ita creſcit iudicio amatorum, vt res tanti valeat, quanti valet amori, vt contingit in margaritis pretioſis, floribus, picturis, &c. Sed frequenter grauitèr peccant, qui tàm multum dant voluptati, vt ſubtrahant vitæ & propriæ, & ſuorum, & pauperum neceſſitati, reddantque ſe ſoluendis debitis incapaces: tales enim ementes, & vendentes licet commutatiuam inter ſe non lædant, quia volentibus, & ſcientibus non fit iniuria; lædunt tamen cum proximo, quem exceſſiuo pretio damnificant, peccantque contra charitatem eidem exhibendam.

Hinc pro regula ſtatui debet Mercatoribus, quòd non poſſint augere pro libitu, rerum, quæ pretium non habent, pretium in damnum alicuius tertij, quia tale commercium cederet in malum Reipublicæ. multò minus poſſunt fraudare illum, qui ignorat pretium. Sed heu, quàm pauci Mercatores habent illam conſiderationem! quàm multi e contra non reſpiciunt niſi priuatam vtilitatem; & ideò innumeras fraudes, & iniuſtitias committunt, non attendentes iuſtitiam Dei, nec eius prouidentiam, ſed omnia ſuis technis, induſtria, & viribus menſurantes. Non vident miſeri, quòd

nihil intulerint in hunc mundum, nec quidquam indè aſportabunt; ſed aſportab untur ab auaritia ſua in gehennam,vbi non poſſidebunt niſi blaſphemias, & tormenta.

§. LXXVIII.

De obligatione Coniugati.

Qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari: & qui dimiſſam duxerit, adulterat. *Marci.* 5.

OBligatio Coniugati innoteſcit ex ijs, quæ diximus de Matrimonio.

§.LXXXIV.

§. LXXXIV.

De obligatione Viduæ, & Cœlibis.

Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum Cælorum. Qui poteſt capere capiat. *Matth.* 19.

VIdua ſi proles habet ex ſuo matrimonio relictas, debet illas chriſtianè educare, & familiæ ſuæ benè præeſſe: & quamdiù manet innupta pro caſtitate ſeruanda ad Deum per orationes frequenter recurrere, &c.

Cœlebs ſimiliter, ſi fuerit virgo, licet non patiatur tam vehementes carnis ſtimulos, orationi tamen vacare debet, & benè faciet, ſi decernat in corde ſuo virginitatem ſuam ſeruare: quia ſic melius cogitabit, quæ Domini ſunt, & & Sponſo ſuo IESV CHRISTO perfectius adhærebit. Ad quod fugere ſæculi pompas, & mundana conſortia, & præſertim alterius ſexus familiaritatem, quàm maximè illi neceſſarium erit. Si autem voluerit Matrimonio iungi, ſimiliter orationi vacabit, vt in Domino nubere poſſit.

§. LXXXV.

De obligatione filij familias, & ſerui.

Deſcendi de Cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me. *Ioannis.17.*
Seruus, qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit,& fecit digna plagis, vapulabit paucis. *Luca 12.*

Obligatio filij familias eſt obedire parentibus in ijs, quæ paternam curam concernunt: & ſerui obedire Domino ſuo in omnibus dominium eius ſpectantibus: vtrorumque autem eſt ijſdem exhibere reuerentiam, & honorem, ſicut Chriſto:

FINIS.

Digitized by Google

SPECIMINA MORALIS LAXIORIS.

Additis ſparſim refutationibus eius, vbi ſeipſam non ſatis refutare videbatur.

Omne datum optimum,& omne donum perfectum deſurſum eſt,deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio.
Iacobi 1.

PARS PRIMA.

---

§. I.

Amor inordinatus ex parte obiecti.

Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradiſi. *Gen.2.*

AMor inordinatus incipit à ſeipſo, quaſi omnium principiò, & omnia refert ad ſeipſum, velut omnium finem;& ita inuertit totum ordinem naturarum,primamque naturam, quæ Deus eſt, vltimam ſtatuit; & vltimam, quæ corpus eſt,primam conſtituit; pro-

priamq;

Digitized by Google

priamque mentem facit corporis ſui ancillam, & pro nihilo habet vt à corpore & vnione eius diſtinctam. Ideò nullum ſeruat ordinem diligẽdi, ſed omnia propter ſe ſimiliter diligit, quaſi Deus eſſet.

§. II.

Amor inordinatus ex parte obligationis noſtræ.

De fructu ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. *Gen.2.*

AMor inordinatus nullam curat obligationem: omnia ſibi deberi putat; ac propterea & Deo & Angelis, & hominibus ingratus eſt: & quia non æſtimat niſi bona naturæ, præſertim corporalis, Chriſtum eiuſque, miniſtros, & benefactores ſpirituales pro nihilo reputat.

§. III.

Amor inordinatus ex parte indigentis.

Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri: & eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum. *Gen.2.*

AMor inordinatus non quærit, niſi quę ſua ſunt, nec vmquam ſuccurrit indigenti, niſi pro-

pter ſe, vel quia gloriam quærit, vel quia propriæ naturæ in aliena natura miſeretur.

§. IV.

Pallia Moralis Laxioris.

Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi... Serpens decepit me, & comedi. *Gen.* 2.

AMor inordinatus, non vult apertè abſurdus, ſeu irrationabilis, videri: idcirco conatur ſe per principia plauſibilia probare ordinatum.

Imprimis fatetur Deum ſuper omnia diligendum: ſed quia hoc nimis difficile putat in ſtatu naturę corruptę, dicit hoc intelligendum eſſe in effectu, ſeu in obſeruatione mandatorũ Dei, non in affectu; & ſic eludit ordinem amoris ex parte affectus contra illud maximum mandatum, *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo*.

Secundò quoad recognitionem, conatur ab illa ſe expedire, dicendo, ſi Deus me creauit, ſiue parens genuit, ſi Chriſtus me redemit, ſi quiſquam alius mihi benefecit, intuitu ſuo fecit; & ideo non debeo illi tam ſpeciales gratias.

Tertiò fatetur proximnm diligendum ſicut ſeipſum, ſed in caſu extremæ neceſſitatis, & quando nullus alius eſt, qui iſti neceſſitati ſuccur-

currat;item quando ſunt ſuperflua, non ſolum vitæ, ſed & ſtatui noſtro etiam augendo: atque ita obligationem diligendi ex parte ſubuentionis prorsus euacuat.

§. V.

Amor inordinatus contra ordinem Iuſtitiæ Legalis.

Circa Religionem.

Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. *Matth.* 4.

QVantum ad obligationem Iuſtitiæ Legalis, admittit omnia, quæ de iſto ordine dicuntur in generali: ſed in ſpeciali, in materia v. g. Religionis, dicit Deum eſſe adorandum exteriori corporis inclinatione, non interiori mentis annihilatione: ei ſeruiendum in exteriori mandatorum obſeruatione, quando ſine magno noſtro incommodo fieri poteſt: eum labijs orandum cum aliqua ſaltem ſimulata attentione: ſacrificium exterius offerendum, licet cum nulla interiori deuotione: votũ pro forma emittendum; ſed non niſi cum clauſulis, quę ipſum inane reddunt, ſeruandum: iuramentum cum reſtrictione mentali ex aliqua cauſa, quæ nobis videtur iuſta, etiam in foro contentioſo non eſſe illicitum, & paſſim in-

com-

communi hominum conuerſatione præſtitum excuſari à mortali propter conſuetudinem iurandi: & generatim omnes Dei ac Creaturarum irreuerentias per blaſphemias (quas vocant materiales) non eſſe mortales communiter, quia pronuntiantur ſine affectu blaſphemãdi, & homines illas audire ſunt aſſueti: ignorantiam excuſare à peccato magiæ & ſuperſtitionis: licere vti vno maleficio ad tollendum aliud, etiam ſcienter: fructus beneficiorum Eccleſiaſticorum ſolùm eſſe temporales; adeoq; vendibiles & emilibes. Et licet pro officio Eccleſiaſtico v.g. Epiſcopatu, Paſtoratu, Canonicatu, vel pro religioſo ſtatu nihil dari poſſit per modum pretij; poſſe tamen dari ad alliciendũ animum Collatoris officij, aut recipientis ad religionem, aut per modum gratitudinis pro officio collato, aut receptione in religionem facta, vel pro quocumque alio titulo, ſic quidem vt non daretur pecunia, quin conferatur beneficium, nec conferret beneficium, niſi recipiatur pecunia; modo non appretietur formaliter res ſpiritualis, vt ſpiritualis eſt, pretio tẽporali, ſicut appretiatur equus vel vacca. Et ſic amor inordinatus totam eludit Religionem per ſuas benignas, id eſt, humanæ corruptioni accomodatas, interpretationes.

§. VI.

§. VI.

Circa Pietatem.

Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit. *Matth.* 15.

PIetatem fatetur debitam Parentibus, Propinquis, & potiſſimum Patriæ: ſed tantum quando proprium bonum ſeu pecuniæ, ſeu honoris, ſeu vitæ nihil patitur incommodi: nam dicit amorem incipere à ſe ipſo; & ſe tantum teneri ad pietatem, quando ſine ſuo incommodo ei ſatisfacere poteſt. Hinc, quia periculum eſt ne quis in futurum conijciatur in neceſſitatem, Parentes & Propinquos hic & nunc indigentes fruſtratur ope ſua, Patriam fraudat vectigalibus & tributis, vbi poteſt: atque adeo mallet & Parentes & Propinquos, & Patriam perire, quam honorem, bona fortunæ, aut vitam perdere. Ideo optat Parentes Propinquos, mortuos vt eorum morte diteſcat: & ſi in ijs iuuandis aliquid expendat, dicit, ſe ex liberalitate, non ex obligatione impendiſſe. Totum honorem illis debitum reducit ad vnam depoſitionem pilei vel ad aliquam exteriorem reuerentiam ſine vllo interiori reſpectu. & ita tollit totam veram Pietatem, quæ maximè in interiori affectu conſiſtit.

§. VII.

Circa Obſeruantiam.

Tu diſcipulus illius ſis nos autem Moyſi diſcipuli ſumus. *Ioannis* 9.

SVperioribus obſeruantiam magis ex timore, vel ex more reddit, quam ex conſideratione iuſtitiæ. Illam iudicat à ſuperioribus affectatam, & propterea iam ſua mercede donatam. Si ei grauis ſit, eam odio habet, eique velut vſurpatæ contradicit, & tantum applaudit, dum ei ſauet.

§. VIII.

Circa Gratitudinem.

Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? *Matth.* 26.

QVæ ſuperius dicta ſunt de gratitudinis defectu in ordine amoris, aggrauantur ex defectu iuſtitiæ legalis: nam ingratus non ſolùm peccat, quia non reddit amorem amori, quem præſupponere debet ex parte benefactoris erga ſe; ſed etiam, quia hoc exigit beneficiū, vt pro illo gratiæ rependantur, & ſuo tempore, dum commoditas adeſt, aliud beneficium. Sed ingratus ſupponens, quòd benefactor propter

pter propriam vtilitatem, vel laudem, beneficium præſtiterit; & quia illud ſibi debitum pu-tat, iudicat nec titulo charitatis, nec titulo iuſtitię legalis quidquam deberi benèfactori: quia non beneficiato, ſed ſibi ipſi benè voluiſſe, & benè feciſſe reputatur benefactor ab ingrato; atque ita tam peruerſo iudicio tota humana beneficentia tollitur: quis enim vellet benefacere tali ingrato? Nullus, niſi purè Chriſtianus ad ſalutem.

§. IX.

Circa Amicitiam, ſeù Societatem.

Facti ſunt amici Herodes, & Pilatus in ipſa die. *Luca* 23.

AMicitiam fouet magis ex politico, quàm ex vero affectu: & ſi alijs pacificè nititur conuiuere; idcircò eſt, quia propriam pacem perturbare timet: & ſic ſibi ipſi amicus eſt, & non alijs.

§. X.

Circa Veracitatem.

Circumueniamus iuſtum. *Sap.* 2.

VT amicitiam cum ijs, qui poſſunt illi prodeſſe, aut obeſſe, conſeruet, nullas non adulationes, & duplicitates adinuenit; vt verò æqua-

æquales, aut inferiores decipiat, nullas non fraudes licitas putat: ſolumque hominem ſimplicem, & rectum, velut ſtupidum, ludibrio habet: aſtutum verò & prudentem ſecundùm ſæculum laudat quidem, ſed deteſtatur; cupitque eum aſtutia, & ſæculi prudentia ſuperare, tribuens omnem ſuam felicitatem fallaci ingenio, nihil ingenuæ veracitati, & rectæ voluntati.

§. XI.

Circa Liberalitatem.

Non ſum ſicut cæteri hominum .... decimas do omnium, quæ poſſideo. *Lucæ* 17.

Amor proprius omnia ad proprium commodum refert;& quando videt proprium commodum ceſſare,ceſſat à liberalitate:quando autem videt proprium commodum militare, ſi liberalitatem exercet, nihil eo liberalius videri poteſt,ſi habet vnde:ſi vero non habet, iactat animi ſui promptitudinem ad benefaciendum,ſi haberet. Cumque liberalitatem exercuit, omnes] vituperat,qui ſimilem non exercent:omnes ingratos proclamat,qui gratias ei ſtatim non rependunt, & qui aliquamdiu differunt reddere beneficium. Habet interim titulum liberalis in hoc, quod ſine contractu oneroſo aliquid boni alijs fecerit,licet non ſine affectu & præui-

ſione maioris boni ab ijs recipiendi: ſine qua prævisione illis nõ benefeciſſet, nec benefaceret.

§. XII.

Amor inordinatus contra ordinem iuſtitiæ particularis.

Sit fortitudo noſtra lex iuſtitiæ. *Sap.2.*

IVſtitiam particularem omnino neceſſariam eſſe fatetur, quia illam ſibi adminiſtrandam abſolute prætendit. Quidquid è re ſua eſt, licet contra rem alienam ſit, iuſtum putat: quidquid vero è re aliena eſt, modo non ſit è re ſua, iniuſtum putat, quia omnia ſua eſſe putat, vel in ordine ad ſe conſiderat. Vnde ſi iniuſtè auferantur aliena, modò nihil inde patiatur detrimenti, iuſtum putat: ſi vero aliquid indè damni accipiat, iniuſtum putat.

Quodque in Superioribus Reipublicæ horribile eſt, omnia iuſta putat, quæ boni publici prætextum habent. Quaſi vero omnia bona priuatorum ſubeſſent diſpoſitioni eorum, dum ipſorum auaritiæ aut ambitioni illa bona vſurpare placuerit, & non neceſſitas, cum conſenſu ſaltem Optimatum, eadem exigere coëgerit.

Quemadmodum etiam non putat lædi iuſtitiam diſtributiuam, quando officia, aut beneficia conferuntur minus dignis, (quia hi vel ſunt ami-

amici, vel plures dant nummos) relictis alijs dignioribus. Quaſi vero boni Miniſtri non ſint vtiliores Reipublicæ, quam multi nummi, cum nihil ad bonũ publicũ faciat, quod quis ſit noſter priuatus amicus, aut benefactor, vel nõ ſit.

§. XIII.

Circa ablationem vitæ hominis.

Ecce ſomniator venit: venite occidamus eum..... Tunc apparebit, quid illi proſint ſomnia ſua. *Gen.* 37.

MIrum eſt quò vſque æſtimationis propriorum bonorum, & vilipenſionis alienorum progrediatur amor inordinatus: nam nõ ſolum vitam propriam vitæ alienæ præfert, ſed etiam proprium honorem & propriam pecuniam; licet hæc ad ſuſtentationem vitæ neceſſaria non ſint; idcirco dicit licere occidere, non ſolum inuaſorem propriæ vitæ, quando hæc aliter ſeruari non poteſt (quod leges humanæ permittunt) ſed etiam inuaſorem proprij honoris, aut bonorum temporalium, licet hæc ſint parui momenti, etiam vnius pomi; præſertim quando non poſſunt recuperari ſine occiſione inuaſoris. In quo tamen manifeſtè læditur iuſticia: quia imprimis occiſio inuadentis honorẽ, non eſt medium proportionatum ad honorem recuperandũ, cùm iam ſupponatur læſus honor, ſed tunc eſt pura vindicta: deinde ſi ſupponatur

tur nondum læſus,ſed lædendus, niſi occidatur inuaſor honoris; debet non eſſe verus honos, qui non poteſt ſeruari ſine occiſione hominis: cum verus honor dependeat ab excellentia propriæ virtutis,vel legitimæ authoritatis,& non à malitia hominis eum iniuſtè perdere conantis.

Quantum ad bona temporalia,quæ non ſunt abſolutæ neceſſaria ad vitam, non æquiparantur vitæ;atque adeo ablatio talium bonorum, non æquiparatur ablationi vitæ.

At amor inordinatus honorem, etiam mundanum, æquiparat vitæ; imo pluris facit eum quam vitam; quia eius ſuperbia excedit voluptatem vitę actualis Et minima quæque bona temporalia ſunt ei maxima:& quamuis non neceſſaria ad vitam,putat tamen neceſſaria ad ſtatum honoratum,quem vitæ ad minimum æquiparat.

§. XIV.

Circa ablationem bonorum fortunæ.

Opprimamus pauperem iuſtum, & non parcamus viduæ. quod enim infirmum eſt,inutile inuenitur. *Sap.2.*

FVrtum & rapinam in generali deteſtatur, quia ſua nec clam nec apertè auferri vult: tamen in ſpeciali,dum agitur de damnificatione proximi in proprium commodum, non putat dari furtum,aut rapinam: v. g, vendit rem tan-

tanti, quanti, poteſt, & emit tam parui quam poteſt, licet eius pretium ciuiliter aut moraliter ſit taxatum: quia in hoc mercimonij induſtriã ponit. Inſuper dicit non eſſe furtum, quando ſibi ipſi ſoluit occultè ex bonis alienis, quæ habet ad manum, dum ſolutio ei negatur, aut differtur à debitore, modo tantum æſtimet eſſe debitorem, cum tamen tranſlatio dominij non fiat niſi authoritate publica Iudicis, vel traditione ipſiuſmet Domini; ne alioquin vnuſquiſque ſibi ipſi iudex eſſe velit, cum perturbatione Reipublicæ, & periculo iniuſtitiæ.

Deinde dicit licere ſibi idem exigere tam ratione pecuniæ mutuatæ, quam ratione creati reditus: quia prætendit pecuniam in vtroque contractu ſibi fructificare. Cum tamen in primo fructificet mutuatario, in cuius dominium tranſlata eſt à mutuatore per mutuum: & in ſecundo reditus fructificet ei, in cuius fauorem creatus eſt.

Præterea dicit ſe nullam committere iniuſtitiam, dum accipit perſonas in diſtributione bonorum communium; quia putat diſpenſationem eorum ſuæ diſcretioni relictam; vel putat perſonæ qualitatem in iuſtitia diſtributiua non eſſe attendendam, ſed ſufficere eſſe perſonam, cui nos benè afficimur.

Denique ſi ſit Iudex, putat ſe poſſe iudicare in fauorem partis amicæ, modo vel minima probabilitas pro hac parte militet: quia putat

minimam probabilitatem ſufficere: cum tamen inſiſtendo rationi,& non affectui, oporteat iudicare ſecundum maiorem probabilitatem. Putat ſe poſſe pro arbitrio cauſas proponere, vel poſtponere, uel protrahere, quia indè lucrum habet, ad quod exiſtimat ſeruire officium Iudicis, quia illud pecunijs emit; cum tamen non ſeruiat niſi ad iuſtitiam vnicuique faciendam. Similia, putat, ſi ſit Aduocatus, aut Procurator.

§. XV.

Circa ablationem famæ vel honoris.

Contumelia & tormento interrogemus eum. *Sap.2.*

NIhil in generali magis deteſtatur, quam ablationem famæ vel honoris: verùm in particulari nihil magis amat, quam alienę famæ denigrationem,& alieni honoris offuſcationem. Etenim cum ſuperbia eius aſcendat ſemper,& in ſocietate hominum nequeat obtinere primatum famæ & honoris, niſi alijs membris per infamationem aut inhonorationem depreſſis; nihil magis optat, quã illa infamari, & inhonorari, gaudetque eorum veris,vel apparentibus vitijs, vt virtutes ſuæ ſaltem apparentes ex

op-

poſito magis eluſceſcant: vtque ſuam tegat ypocriſim, reddit gratias Deo ſicut Phariſæus, uod non ſit ſicuti cæteri hominum, & oſtendit e aduerſo Publicanum, id eſt, illum, qui infamatur vel inhonoratur. Et nè ſe iactare videatur icit ſe alienæ compati miſeriȩ, ac dolere quod i, de quibus mala dicuntur, meliores non exiſtant: quinimo fingit, dum contumeliam vel detractionem audit, illam ſe non libenter audire: ne tamen contumelioſos, & detractores ſiſtat, os conatur iuſtificare, dicendo, quod adhuc ſimilia audierit, vel ipſemet viderit & ſpectare ad bonum publicum, vt talia committentes cōfundantur, vel vt habeat ipſe curam illos admonendi vel corrigendi. Interea deridet illos, qui tam turpiter traducuntur, pallians ſuam deriſionem ſub ſpecie ioci; quia tales & tales, volentes ſapientes videri, talia non euitant: non tamen in illos oſtendit vllam ſpeciem odij, ne maleuolus eſſe videatur.

§. VI.

Circa Pietatem.

Munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit. *Matth.* 15.

PIetatem fatetur debitam Parentibus, Propinquis, & potiſſimum Patriæ: ſed tantum quando proprium bonum ſeu pecuniæ, ſeu honoris, ſeu vitæ nihil patitur incommodi: nam dicit amorem incipere à ſe ipſo, & ſe tantum teneri ad pietatem, quando ſine ſuo incommodo ei ſatisfacere poteſt. Hinc, quia periculum eſt ne quis in futurum conijciatur in neceſſitatem, Parentes & Propinquos hic & nunc indigentes fruſtratur ope ſua, Patriam fraudat vectigalibus & tributis, vbi poteſt: atque adeo mallet & Parentes & Propinquos, & Patriam perire, quam honorem, bona fortunæ, aut vitam perdere. Ideo optat Parentes Propinquos, mortuos vt eorum morte diteſcat: & ſi in ijs iuuandis aliquid expendat, dicit, ſe ex liberalitate, non ex obligatione impendiſſe. Totum honorem illis debitum reducit ad vnam depoſitionem pilei vel ad aliquam exteriorem reuerentiam ſine vllo interiori reſpectu. & ita tollit totam veram Pietatem, quæ maximè in interiori affectu conſiſtit.

§. VII.

§. VII.

Circa Obſeruantiam.

Tu diſcipulus illius ſis nos autem Moyſi diſcipuli ſumus. *Ioannis* 9.

SVperioribus obſeruantiam magis ex timore, vel ex more reddit, quam ex conſideratione iuſtitiæ. Illam iudicat à ſuperioribus affectatam, & propterea iam ſua mercede donatam. Si ei grauis ſit, eam odio habet, eique velut vſurpatæ contradicit, & tantum applaudit, dum ei ſauet.

§. VIII.

Circa Gratitudinem.

Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? *Matth.* 26.

QVæ ſuperius dicta ſunt de gratitudinis defectu in ordine amoris, aggrauantur ex defectu iuſtitiæ legalis: nam ingratus non ſolùm peccat, quia non reddit amorem amori, quem præſupponere debet ex parte benefactoris erga ſe; ſed etiam, quia hoc exigit beneficiũ, vt pro illo gratiæ rependantur, & ſuo tempore, dum commoditas adeſt, aliud beneficium. Sed ingratus ſupponens, quòd benefactor propter

pter propriam vtilitatem, vel laudem, beneficium præſtiterit; & quia illud ſibi debitum putat, iudicat nec titulo charitatis, nec titulo iuſtitię legalis quidquam deberi benefactori: quia non beneficiato, ſed ſibi ipſi benè voluiſſe, & benè feciſſe reputatur benefactor ab ingrato; atque ita tam peruerſo iudicio tota humana beneficentia tollitur: quis enim vellet benefacere tali ingrato? Nullus, niſi purè Chriſtianus ad ſalutem.

§. IX.

Circa Amicitiam, ſeù Societatem.

Facti ſunt amici Herodes, & Pilatus in ipſa die. *Luca* 23.

AMicitiam fouet magis ex politico, quàm ex vero affectu: & ſi alijs pacificè nititur conuiuere; idcircò eſt, quia propriam pacem perturbare timet: & ſic ſibi ipſi amicus eſt, & non alijs.

§. X.

Circa Veracitatem.

Circumueniamus iuſtum. *Sap.* 2.

VT amicitiam cum ijs, qui poſſunt illi prodeſſe, aut obeſſe, conſeruet, nullas non adulationes, & duplicitates adinuenit; vt verò

æqua-

æquales, aut inferiores decipiat, nullas non fraudes licitas putat: ſolumque hominem ſimplicem, & rectum, velut ſtupidum, ludibrio habet: aſtutum verò & prudentem ſecundùm ſæculum laudat quidem, ſed deteſtatur; cupitque eum aſtutia, & ſæculi prudentia ſuperare, tribuens omnem ſuam felicitatem fallaci ingenio, nihil ingenuæ veracitati, & rectæ voluntati.

§. XI.

Circa Liberalitatem.

Non ſum ſicut cæteri hominum .... decimas do omnium, quæ poſſideo. *Lucæ* 17.

Amor proprius omnia ad proprium commodum refert;& quando videt proprium commodum ceſſare,ceſſat à liberalitate:quando autem videt proprium commodum militare, ſi liberalitatem exercet, nihil eo liberalius videri poteſt,ſi habet vnde:ſi vero non habet, iactat animi ſui promptitudinem ad benefaciendum,ſi haberet. Cumque liberalitatem exercuit, omnesJ vituperat,qui ſimilem non exercent:omnes ingratos proclamat,qui gratias ei ſtatim non rependunt, & qui aliquamdiu differunt reddere beneficium. Habet interim titulum liberalis in hoc, quod ſine contractu oneroſo aliquid boni alijs fecerit,licet non ſine affectu & præui-

ſione maioris boni ab ijs recipiendi: ſine qua prævisione illis nõ benefeciſſet, nec benefaceret.

§. XII.

Amor inordinatus contra ordinem iuſtitiæ particularis.

Sit fortitudo noſtra lex iuſtitiæ. *Sap.2.*

IVſtitiam particularem omnino neceſſariam eſſe fatetur, quia illam ſibi adminiſtrandam abſolute prætendit. Quidquid è re ſua eſt, licet contra rem alienam ſit, iuſtum putat: quidquid vero è re aliena eſt, modo non ſit è re ſua, iniuſtum putat, quia omnia ſua eſſe putat, vel in ordine ad ſe conſiderat. Vnde ſi iniuſtè auferantur aliena, modò nihil inde patiatur detrimenti, iuſtum putat: ſi vero aliquid indè damni accipiat, iniuſtum putat.

Quodque in Superioribus Reipublicæ horribile eſt, omnia iuſta putat, quæ boni publici prætextum habent. Quaſi vero omnia bona priuatorum ſubeſſent diſpoſitioni eorum, dum ipſorum auaritiæ aut ambitioni illa bona vſurpare placuerit, & non neceſſitas, cum conſenſu ſaltem Optimatum, eadem exigere coëgerit.

Quemadmodum etiam non putat lædi iuſtitiam diſtributiuam, quando officia, aut beneficia conferuntur minus dignis, (quia hi vel ſunt ami-

amici, vel plures dant nummos) relictis alijs dignioribus. Quaſi vero boni Miniſtri non ſint vtiliores Reipublicæ, quam multi nummi, cum nihil ad bonũ publicũ faciat, quod quis ſit noſter priuatus amicus, aut benefactor, vel nõ ſit.

§. XIII.

Circa ablationem vitæ hominis.

Ecce ſomniator venit: venite occidamus eum..... Tunc apparebit, quid illi proſint ſomnia ſua. *Gen.* 37.

Mirum eſt quò vſque æſtimationis propriorum bonorum, & vilipenſionis alienorum progrediatur amor inordinatus: nam nõ ſolum vitam propriam vitæ alienæ præfert, ſed etiam proprium honorem & propriam pecuniam; licet hæc ad ſuſtentationem vitæ neceſſaria non ſint; idcirco dicit licere occidere, non ſolum inuaſorem propriæ vitæ, quando hæc aliter ſeruari non poteſt (quod leges humanæ permittunt) ſed etiam inuaſorem proprij honoris, aut bonorum temporalium, licet hæc ſint parui momenti, etiam vnius pomi; præſertim quando non poſſunt recuperari ſine occiſione inuaſoris. In quo tamen manifeſtè læditur iuſtitia: quia imprimis occiſio inuädentis honorẽ, non eſt medium proportionatum ad honorem recuperandũ, cùm iam ſupponatur læſus honor, ſed tunc eſt pura vindicta: deinde ſi ſupponatur

tur nondum læſus, ſed lædendus, niſi occidatur inuaſor honoris; debet non eſſe verus honos, qui non poteſt ſeruari ſine occiſione hominis: cum verus honor dependeat ab excellentia propriæ virtutis, vel legitimæ authoritatis, & non à malitia hominis eum iniuſtè perdere conantis.

Quantum ad bona temporalia, quæ non ſunt abſolutæ neceſſaria ad vitam, non æquiparantur vitæ; atque adeo ablatio talium bonorum, non æquiparatur ablationi vitæ.

At amor inordinatus honorem, etiam mundanum, æquiparat vitæ; imo pluris facit eum quam vitam; quia eius ſuperbia excedit voluptatem vitę actualis. Et minima quæque bona temporalia ſunt ei maxima: & quamuis non neceſſaria ad vitam, putat tamen neceſſaria ad ſtatum honoratum, quem vitæ ad minimum æquiparat.

§. XIV.

Circa ablationem bonorum fortunæ.

Opprimamus pauperem iuſtum, & non parcamus viduæ. quod enim infirmum eſt, inutile inuenitur. *Sap.2.*

FVrtum & rapinam in generali deteſtatur, quia ſua nec clam nec apertè auferri vult: tamen in ſpeciali, dum agitur de damnificatione proximi in proprium commodum, non putat dari furtum, aut rapinam: v. g, vendit rem tan-

tanti,quanti,poteſt,& emit tam parui quam poteſt, licet eius pretium ciuiliter aut moraliter ſit taxatum: quia in hoc mercimonij induſtriã ponit. Inſuper dicit non eſſe furtum,quando ſibi ipſi ſoluit occultè ex bonis alienis, quæ habet ad manum,dum ſolutio ei negatur,aut differtur à debitore, modo tantum ęſtimet eſſe debitorem,cum tamen tranſlatio dominij non fiat niſi authoritate publica Iudicis,vel traditione ipſiuſmet Domini; ne alioquin vnuſquiſque ſibi ipſi iudex eſſe velit,cum perturbatione Reipublicæ,& periculo iniuſtitiæ.

Deinde dicit licere ſibi idem exigere tam ratione pecuniæ mutuatæ, quam ratione creati reditus: quia prætendit pecuniam in vtroque contractu ſibi fructificare. Cum tamen in primo fructificet mutuatario,in cuius dominium tranſlata eſt à mutuatore per mutuum: & in ſecundo reditus fructificet ei,in cuius fauorem creatus eſt.

Præterea dicit ſe nullam committere iniuſtitiam, dum accipit perſonas in diſtributione bonorum communium; quia putat diſpenſationem eorum ſuæ diſcretioni relictam; vel putat perſonæ qualitatem in iuſtitia diſtributiua non eſſe attendendam, ſed ſufficere eſſe perſonam,cui nos benè afficimur.

Denique ſi ſit Iudex,putat ſe poſſe iudicare in fauorem partis amicæ, modo vel minima probabilitas pro hac parte militet: quia putat

minimam probabilitatem ſufficere: cum tamen inſiſtendo rationi,& non affectui, oporteat iudicare ſecundum maiorem probabilitatem. Putat ſe poſſe pro arbitrio cauſas proponere vel poſtponere, uel protrahere, quia indè lucrum habet, ad quod exiſtimat ſeruire officium Iudicis, quia illud pecunijs emit; cum tamen non ſeruiat niſi ad iuſtitiam vnicuique faciendam. Similia, putat, ſi ſit Aduocatus, aut Procurator.

§. XV.

Circa ablationem famæ vel honoris.

Contumelia & tormento interrogemus eum. *Sap.2.*

NIhil in generali magis deteſtatur, quam ablationem famæ vel honoris: verùm in particulari nihil magis amat, quam alienę famæ denigrationem,& alieni honoris offuſcationem. Etenim cum ſuperbia eius aſcendat ſemper,& in ſocietate hominum nequeat obtinere primatum famæ & honoris, niſi alijs membris per infamationem aut inhonorationem depreſſis; nihil magis optat, quã illa infamari, & inhonorari, gaudetque eorum veris,vel apparentibus vitijs, vt virtutes ſuæ ſaltem apparentes ex

op-

oppoſito magis eluſceſcant: vtque ſuam tegat hypocriſim, reddit gratias Deoſicut Phariſæus, quod non ſit ſicuti cæteri hominum, & oſtendit ex aduerſo Publicanum, id eſt, illum, qui infamatur vel inhonoratur. Et nè ſe iactare videatur dicit ſe alienæ compati miſerię, ac dolere quod ij, de quibus mala dicuntur, meliores non exiſtant: quinimo fingit, dnm contumeliam vel detractionem audit, illam ſe non libenter audire: ne tamen contumelioſos, & detractores ſiſtat, eos conatur iuſtificare, dicendo, quod adhuc ſimilia audierit, vel ipſemet viderit & ſpectare ad bonum publicum, vt talia committentes cõfundantur, vel vt habeat ipſe curam illos admonendi vel corrigendi. Interea deridet illos, qui tam turpiter traducuntur, pallians ſuam deriſionem ſub ſpecie ioci; quia tales & tales, volentes ſapientes videri, talia non euitant: non tamen in illos oſtendit vllam ſpeciem odij, ne maleuolus eſſe videatur.

§. XVI.

Circa reſtitutionem in generali:

Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. *Matth.* 18.

FAcilè à reſtitutione ſe eximit, dicendo, quòd nullius ius violauerit; vel ſi fateri cogatur, quòd alienum ius in aliquo violauerit, cauſam aliquam prætexit, qua ab illo onere liberet ſe: v.g. quod parentes inhonorauerit, dicit eos eſſe in culpa propter mores ſuos difficiles: quòd Superiores contempſerit, cauſatur eorum malam vitam, vel malum regimen, vel dominatum inſupportabilem: quòd benefactori reddiderit malum pro bono, dicit eum benefaciendo non habuiſſe rectam intentionē.

§. XVI.

Circa reſtitutionem in ſpeciali.

Circa bonum vitæ.

Redde, quod debes. *Matth.* 18.

PRo bono vitæ ablatæ dicit nihil debere reſtitui, quia vita ſemel ablata reſtitui nequit. Quod quidem verum eſt: ſed quatenus ab amore inordinato profertur ad excutiendā obli-

obligationem reſtitutionis, malum. Pro damnis emergentibus, dicit quòd nõ teneatur,quia nemo habet ius ad operas alterius, niſi quamdiù viuit; vndè cum vita ius illud perit,à quacumque cauſa mors inferatur. Quaſi verò accelerans mortem non ſit cauſa illius damnificationis! Quoad funeralia dicit, quòd equidem debebant aliquando fieri. Quaſi verò non ſit cauſa,quòd hic,& nunc debeant fieri,& quidem expenſis harum perſonarum, quæ fortaſſis non extitiſſent, vel habuiſſent maiora media, ſi vita iſtius hominis fuiſſet prolongata! Quoad expenſas in Medicos, fatetur quidem ſibi ſoluendas eſſe, ſi vulneratus non dediſſet cauſam vulneri; vel dicit, quòd non voluntariè eum læſerit: nemo autem tenetur in conſcientia ad reſarcienda damna, quorum non fuit cauſa voluntaria; quia non tenetur, niſi ſua culpa, & nemo peccat niſi ſua voluntate. Pro verberatione dicit nihil deberi, quia nihil ablatum eſt, niſi honos verberati, quem ipſe ſua ignauia amiſit. Quoad Iudicem, dicit quòd numquam iniuſtè incarceret; quia hoc ipſo, quo quis incarceratur, iam ſuſpectus alicuius delicti, aut debiti habetur, donec examen fuerit deſuper habitum, & iudicium pronuntiatum; poſt quod ſi incarceratus innocens fuerit inuentus, abſoluetur à Iudice: ſed ſi è carcere exire vult,ſoluat expenſas, vel maneat ibi: eſſet enim nimis durum, quòd Iudex deberet

ſem-

ſemper tàm exactè inquirere cauſas incarcerationis, priuſquam incarceret, & quod alioquin ad reſtitutionem teneretur. Deindè quòd Iudex numquam incarceret, quin aliquam cauſam habeat: v.g. quòd incarceratus ipſum in aliquo offenderit ſaltem probabilitèr; propter quam offēſam benè meretur hoc pati: v.g. quia ipſum non recognouit, vel honorauit.

§. XVIII.

Circa bona fortunæ.

Miſit eum in carcerem, donec redderet debitum. *Matth.* 18.

SI res furto ablata adhuc exſtat: ſi apud ipſum furem exſtat, dicit ſe illam abſtuliſſe propter neceſſitatem; cumque eadem neceſſitas perſeueret, putat ſe non teneri illam reſtituere; quia in neceſſitate omnia ſunt communia: ſi exſtat apud alium, cui fur eam dedit, aut vendidit, dicit ab iſto alio repetendam eſſe; nec ampliùs in ſua poteſtate exiſtere, vt eam reſtituat. Si repetatur ab iſto alio, dicit ſua non referre, quòd fur illam abſtulerit, & quòd ei, non ſibi reſtitutio incumbat. Si verò res conſumpta eſt, dicit fur eam in neceſſitate conſumptam eſſe: *neceſſitas* autem *non habet legem*. Quòd ſi vrgeatur reddendum æquiualens, dicit ſe non habere; *ad impoſſibile* autem

tem *nemo tenetur*; & ita omnis obligatio reſti-tutionis bonorum fortunæ eluditur, niſi ſubti-litates ab iſtis axiomatibus petitæ ſoluantur. Quod enim dicirur, *neceſſitas non habet legem*, debet intelligi, quando venit ab extrinſeco, id eſt, ſine noſtra culpa, & ei aliter ſubueniri non poteſt, quàm rem alienam capiendo propria authoritate; iam autem frequentèr, & ordina-riè neceſſitas ex culpa furis venit: quia vel aua-rus eſt, & ei explendo totus mundus diuitia-rum non ſufficit; vel prodigus, & ei non ſuf-ficit expendendo; vel laborare nolens, vt ſibi acquirat vnde viuat. &c. aut iſti neceſſitati po-teſt aliter ſuccurri, ſcilicet à Domino petendo id, quod furto aufertur, eique ſuam neceſſi-tatem exponendo: & ſi dare nolit, ad alium recurrendo: in tali enim neceſſitate Deus, qui fidelis eſt in promiſſis, & qui corda diuitum vertit quocumque voluerit, dabit alicui ſpiri-tum miſericordiæ, vt homini, citra ſuam cul-pam neceſſitatem patienti ſuccurrat, aperiendo ei viſcera ſuæ charitatis. Dicit enim Dauid, *iunior fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum de-relictum, nec ſemen eius quærens panem*. Item Chriſtus in Euangelio, *quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & cætera adijcientur vo-bis*. Quantum ad alterum axioma, dicendum, quoad illud, quod eſt abſolutè, ſiue ab intrin-ſeco impoſſibile, v.g. ad volandum ſine alis, nemo teneatur: ſed ad impoſſibile hic, & nunc,

cu-

cuius impoſſibilitatis homo ipſe eſt cauſa, & quod poteſt reddi poſſibile, ſi homo faciat quod in ſe eſt; reuera tenetur ille, qui alterum damnificauit, vt ei damnum reſarciat. Denique quantum ad illum primò poſitum, cui fur rem alienam tradidit, aut vendidit; ſi adhuc apud ipſum exſtat, tenetur eam Domino ſuo reſtituere: quia res manet Domini ſui vbicumque exiſtat; ſed poteſt habere reaggreſſum ad furem. Si verò rem bona fide conſumpſerit, non tenetur, niſi in quantum indè emolumentum accepit: fur tamen tenetur.

Petes, an quando fur eſt pauper, & reſtitutio pauperibus facienda eſt, poſſit inter pauperes computari? & caſu quo res furtiua non ſuperet quantitatem, quę datur vni in pari paupertate exiſtenti, an poſſit fur ille eam totam retinere? Reſpondeo quòd amor inordinatus talis pauperis furis faciiè ipſi dicet, quod ſic: quia in ratione pauperis non videtur eſſe peioris conditionis, quàm alii pauperes non fures: & furtum non ponit ipſum extra ſtatum pauperis. Sed dico ego, quod in pœnam furti priuandus eſt, ne ſi non priuetur, detur ſic pauperibus anſa furandi ſub illo prætextu, quòd poterunt furtum retinere, ſaltem quando non erit dominus notus, cui res reſtituatur.

Similiter amor proprius ſimoniaci facilè ei ſuggerit, quòd licet peccauerit ſimoniam committendo, peracta tamen leuiſſima pœnitentia

(qua-

(quales nunc pro grauiſſimis delictis imponi ſolent à quibuſdam Confeſſarijs) non teneatur in conſcientia deſerere ſuum beneficium, nec fructus perceptos reſtituere. Sed cùm non acquiratur iuſtè beneficium, nec proindè fructus iuſtè percipiantur, niſi ſecundùm Canones Eccleſiæ, qui condemnant, & inualidant omnē ſimoniacam acquiſitionem; idcircò ad reſtitutionem in conſcientia tenetur ſimoniacus, vti diximus in Morali Tutiore.

§. XIX.

Circa bonum famæ, vel honoris.

Blaſphemauit, quid adhuc egemus teſtibus. *Matth. 26.*

NVllibi faciliùs ſe expedit amor proprius ab obligatione reſtitutionis, quàm circa bonum famæ. Aut enim crimen, quod de altero dixit, eſt verum, vel non eſt verum: ſi verum eſt: non putat poſſe fieri reſtitutionem efficacitèr; quia ad hoc deberet dicere eſſe falſum, quod non poteſt abſque mendacio, vti prætendit; mendacium autem numquam eſt licitum, & ſic in hoc caſu obligatio reſtitutionis ceſſat, tamquam impoſſibilis. Si crimen falſum eſt, deberet hoc dicere; iam autem putat ſe ad hoc non teneri, quia deberet ſeipſum infamare, dicendo ſe maledicum, & mendacem, vel inconſideratum, aut aliquo alio vitio laborantem. Nemo autem tenetur ſeipſum in-

infamare; quia propria fama debet vnicuique eſſe magis chara, quàm aliena, cùm amor incipiat à ſeipſo. Verùm hoc debet intelligi, quando quis conſeruat ſuam famam ſine damno tertij: at quando ſua culpa damnificat alterum in fama, iuſtum eſt, vt damnum illud reſarciat, etiam cùm damno propriæ famæ, ſi hoc opus fuerit. Vide deſuper dicta in Morali Tutiore.

§. XX.

Circa ordinem ſeruandum inter reſtituentes.

Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei, & æſtus. *Matth.* 20.

QVando plures cooperati ſunt ad idem damnum proximi, amor proprius ſingulorum nititur ſingulos ab onere reſtitutionis liberare; quia quiſque refundit culpam in alterum. Dicit principalis, quòd ſecundarij ſint in cauſa; quia ipſum ad furandum impulerunt. Dicunt ſecundarij, quòd non debebat ſequi eorum impulſum, & quòd ſi impellerent eum ad ſe præcipitandum ex alta turri, non idcircò ſe præcipitaret. Cumque ſecundarij ad reſtitutionem coguntur, deficiente principali, vnuſquiſque conatur reijcere onus in alterum, dicendo, quòd alter plus influxerit, quàm ipſe. V.g. dicit iubens quòd conſulens plus

plus influxerit quàm ipſe, quia conſilium manet, iuſſio tranſit. Dicit è contra conſulens, quòd iubens magis teneatur, quia iuſſio eſt magis efficax, quàm conſilium. Dicit conſentiens, & per hoc animans ad damnum inferendum, quòd nihil dixerit, quo ipſum animaret. Palpans verò ſeu laudans dicit, quòd quidem aliquid dixerit, ſed quod non debebat illum audire. Qui autem furem recepit, dicit, quòd ſuum hoſpitium illi quidem conceſſerit, ſed quòd eius furta non approbauerit. Participans fatetur ſe quidem accepiſſe de furto, ſed ſub onere furis. Mutus, non obſtans, non manifeſtans, dicunt ſe non eſſe cauſam damni, quia in illud poſitiuè non influxerunt, & quòd negatiuè tantùm ad illud ſe habuerũt, Et ſi illis dicatur, quòd non merè negatiuè, ſed priuatiuè ſe habuerint, quia damnum impedire potuerunt, & debuerunt, nec tamen impedierunt; reſpondent, quòd vel non potuerint, vel propter rationes non debuerint; & licet potuiſſent, & debuiſſent, dicunt quod ad ſummum poſſent argui neglecti officij, non iniuſtæ damnificationis, quàm ipſi non fecerunt. Et addunt vt ille, qui grauatus eſt, conqueratur de grauamine apud Iudicem, & quòd ipſi iuſtitia adminiſtrabitur, vel quòd aliàs meliùs aduigilet ad ſua. Hiſque, & ſimilibus ratiunculis putant ſe ab onere reſtitutionis exemptos, vrgentes Confeſſarium ad ipſis deſuper

per impendendam abſolutionem, dicuntque teneri in conſcientia, quia adducunt rationem probabilem.

§. XXI.

Circa virtutes remouentes impedimenta charitatis, &c.

Circa Prudentiam.

Scio quid faciam, vt cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos ſuas. *Lucæ* 16.

AMor inordinatus perſuadere volens homini per peccatum excœcato, quod ad ſcientiam veritatis peruenire non poſſit multas opiniones adinuenit, quibus cùm etiam docti viri inter ſe diſceptarent, hoc effecit vt vnicuique impoſſibile videretur certam veritatis viam reperire. Quoniam tamen eo non obſtante homini erat agendum, perſuaſit ei, vt omiſſa veritate, ex probabili viueret; hinc Academicis iam olim maxima erat: *Cum agit quiſque quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat*. Et quia vnicuique ſua opinio probabilis eſt, hoc inſuper effecit, vt quiſque ex opinione ſua viueret, ratus ſe numquam argui poſſe, cùm ſemper probabile ſequeretur. Sed quia hinc natæ erant exoriri nimiæ in terrena,

ac Babylonica ciuitate diſenſiones ad inducti principij ſui ſubuerſionem, proceſsit vlterius, vt etiam ex alieno probabili liceret viuere; per quod factum eſt, vt quidquid lubet, etiam licere ſibi facilè quiſque poſſit perſuadere.

Ab hac deceptione viderint quomodo tuti ſint, qui tamquam morum regulas irrefragabiles, ſequentes ſtatuunt maximas:

I.

Poteſt quis facere, quod probabili ratione, vel authoritate putat licere.

I I.

Probabilis ſentententia, vti communjtèr accipitur, ita definiri poteſt, quæ certitudinem non habens, tamen vel graui authoritate, vel non modici momenti ratione nititur.

III. & IV.

Quando opiniones ſunt æquè probabiles poſſumus minùs tutam in agendo pręferre; imò etiamſi quæ minùs tuta eſt, minùs probabilis habeatur.

V.

Doctor alteri conſulenti conſilium dare poteſt non ſolùm ex propria, ſed etiam ex oppoſita aliorum ſententia, ſi hæc illi fauorabilior, ſeu exoptabilior ſit.

VI.

Imò à ratione nihil alienum eſt, ſi Doctor Conſultus tamquam probabilem opinionem ſignificet conſulenti à quibuſdam viris doctis

defendi, quàm proindè ſequi ipſi liceat; quamuis idem Doctor eiuſmodi ſententiam ſpeculatiuè falſam certò ſibi perſuadeat, vt proindè ipſemet in praxi eam ſequi non poſſit.

VII.

Satis eſt in omnibus caſibus conſtare probabiliter opinionem eſſe probabilem.

VIII.

Quòd ſi Confeſſario falſa videatur opinio pœnitentis debet ſe accommodare, ſi à probatis Authoribus probabilis reputetur.

Huiuſmodi maximis Dæmon facit Iudæos, Paganos, Turcas, hæreticos in ſuo errore, etiam dum eis nonnihil de luce veritatis illuceſcit pertinacitèr immanere. Cùm enim quælibet ſecta doctores ſuos habeat, facilè quilibet perſuadet ſe eorum auctoritate nitendo probabiliter operari; ac per hoc licet probabiliſſimam quis Catholicam Religionem exiſtimet, tamen ſine ſcrupulo iudicat ſeſe illa relicta ſuæ ſectæ adhærere, cùm ea illi ſit, propter doctorum ſuorum auctoritates, ſaltem probabilis.

Hinc etiam quidam probabilitatum patronus, inducit hæreticum ſic argumentantem: Chriſtianitas probabiliſſima Religio eſt,& ſub iſta dantur ſectæ antiquiores, iuniores, ſeueriores, benigniores, vniuerſaliores, minùs vniuerſales (& præcipuè Romana, Lutherana, Caluiniana) quæ ſunt verè probabiles: ergò mihi Lutherano non eſt neceſſario redeundum

ad

ad Romanam Eccleſiam, aut ſecedendum à Chriſto: nam præter Romanam Religionem, cui probabilitatem non nego, etiam Lutherana eſt Chriſtiana, & probabilis, & multò Romana benignior, ac per hoc ſecurior: quoniam dicto probabiliſtæ minùs probabilis ſententia, ſi benignior etiam ſecurior eſt.

Nec illegitima eſt iſtiuſmodi ex dictis regulis conſequentia: vndè nec ab iſto probabiliſta iſti Hæretico, ſic ſecum argumentanti, ſeſe expediendi modus ſuggeritur.

Nec facilè ſe expedire poterit, quiſquis dicta axiomata ſequitur, quin admittere debeat, quòd quilibet propriam conſcientiam ſequens, & eam (iuxta propria ſua deſideria coaceruando ſibi magiſtros fabricâns) ſaluandus ſit: quia iuxta primum axioma poteſt quis putare ex probabili ratione, vel authoritate, quod liceat ei agere, quod agit. Et quamuis in ſua actione certitudinem non habeat, grauis illa (vt putat) authoritas, vel non modici momenti ratio eum excuſat iuxta ſecundum axioma.

Quòd ſi inter duas opiniones probabiles conſiſtat, ne ambiguus hæreat, poteſt minùs tutam in agendo præferre iuxta tertium axioma; quinimò idem poteſt etiamſi minùs tuta ſit ſimul minùs probabilis iuxta quartum axioma. Et ſi fortè non audeat propriam putationem ſequi, ſed iudicet debere ſe deſuper aliquem Doctorem conſulere, poterit ille Doctor

(ne ipſum inquietet) ei conſilium dare, non ſolùm ex propria, ſed etiam ex oppoſita aliorum ſententia, ſi hæc illi fauorabilior, ſeù exoptabilior ſit, iuxta quintum axioma. Imò verò poterit idem Doctor conſulentem in conſcientia aſſecurare, modò quidam viri docti eius opinionem vt probabilem defendant, licet ipſe eam falſam putet, nec practicare auderet, iuxta ſextum axioma. Ac ne fortaſſis dubitet ne opinio ſua verè probabilis non ſit, & ſic in agendo patiatur ſcrupulum, ſatis erit in omnibus caſibus (nota in omnibus caſibus etiam totius Legis Dei) conſtare probabiliter, opinionem eſſe probabilem iuxta axioma ſeptimum. Et cui probabiliter conſtabit niſi ipſi opinanti? atqui poteſt quilibet opinari non ſolùm hoc, vel hoc eſſe probabile, ſaltem probabiliter, ſed certum ob rationem ei apparentem. Denique ſi facti ſui in dubio pœnitens confiteatur, debet Confeſſarius ſe illi accommodare, modò eius opinio à probatis Authoribus probabilis reputetur, licet eam Confeſſarius falſam iudicet, iuxta axioma octauum.

Et certè ſi Catholici eo procedendi modo excuſentur, quantò magis Iudæi, Pagani, Turcæ, & hæretici, vtpotè minùs illuminati, minuſque capaces attingendæ veritatis, per ignorantiam, & probabilitatem excuſantur iuxta probabiliſtarum principia.

Nec certè magis poſſibile eſt ſine Spe, &

Cha-

Charitate ac obſeruatione mandatorum Dei placere Deo, quam ſine fide; adeoque ſi conſcientia, quantumuis erronea circa dilectionem Dei ac obſeruationem mandatorum eius, poſſit hominem ſaluare, modo ſit probabilis, etiam idem poterit erronea circa fidem.

Etenim Scriptura non magis requirit veram fidem, quam veram dilectionem, veramque mãdatorum Dei obſeruantiam: neque profectò ideo veræ fidei potior eſt obligatio, quam dilectionis & operum, quaſi facilior: *Non enim* (vt ait D. Leo) *in ſolo opere virtutum, aut in ſola obſeruantia mandatorum, ſed etiam in tramite fidei anguſta & ardua via eſt, quæ ducit ad vitam, & magni laboris eſt magnique diſcriminis inter dubias imperitorum opiniones, & veriſimiles falſitates per vnam ſanæ doctrinæ ſemitam inoffenſis greſſibus ambulare; & cum vndique ſe laquei erroris opponant, omne periculũ deceptionis euadere.* Heu quantum profecit Diabolus, dum laqueos deceptionis, veriſimiles vtpotè falſitates, pro via ſalutis tuta & ſecura etiam Catholicis cum Doctorum approbatione obtruſit!

(ne ipſum inquietet) ei conſilium dare, non ſolùm ex propria, ſed etiam ex oppoſita aliorum ſententia, ſi hæc illi fauorabilior, ſeù exoptabilior ſit, iuxta quintum axioma. Imò verò poterit idem Doctor conſulentem in conſcientia aſſecurare, modò quidam viri docti eius opinionem vt probabilem defendant, licet ipſe eam falſam putet, nec practicare auderet, iuxta ſextum axioma. Ac ne fortaſſis dubitet ne opinio ſua verè probabilis non ſit, & ſic in agendo patiatur ſcrupulum, ſatis erit in omnibus caſibus (nota in omnibus caſibus etiam totius Legis Dei) conſtare probabiliter, opinionem eſſe probabilem iuxta axioma ſeptimum. Et cui probabiliter conſtabit niſi ipſi opinanti? atqui poteſt quilibet opinari non ſolùm hoc, vel hoc eſſe probabile, ſaltem probabiliter, ſed certum ob rationem ei apparentem. Denique ſi facti ſui in dubio pœnitens confiteatur, debet Confeſſarius ſe illi accommodare, modò eius opinio à probatis Authoribus probabilis reputetur, licet eam Confeſſarius falſam iudicet, iuxta axioma octauum.

Et certè ſi Catholici eo procedendi modo excuſentur, quantò magis Iudæi, Pagani, Turcæ, & hæretici, vtpotè minùs illuminati, minuſque capaces attingendæ veritatis, per ignorantiam, & probabilitatem excuſantur iuxta probabiliſtarum principia.

Nec certè magis poſſibile eſt ſine Spe, & Cha-

Charitate ac obſeruatione mandatorum Dei placere Deo,quam ſine fide; adeoque ſi conſcientia, quantumuis erronea circa dilectionem Dei ac obſeruationem mandatorum eius, poſſit hominem ſaluare,modo ſit probabilis,etiam idem poterit erronea circa fidem.

Etenim Scriptura non magis requirit veram fidem,quam veram dilectionem,veramque mãdatorum Dei obſeruantiam: neque profectò ideo veræ fidei potior eſt obligatio, quam dilectionis & operum, quaſi facilior: *Non enim* (vt ait D.Leo) *in ſolo opere virtutum,aut in ſola obſeruantia mandatorum,ſed etiam in tramite fidei angusta & ardua via eſt, quæ ducit ad vitam, & magni laboris eſt magnique diſcriminis inter dubias imperitorum opiniones; & veriſimiles falſitates per vnam ſanæ doctrinæ ſemitam inoffenſis greſſibus ambulare; & cum vndique ſe laquei erroris opponant,omne periculũ deceptionis euadere.* Heu quantum profecit Diabolus, dum laqueos deceptionis,veriſimiles vtpotè falſitates,pro via ſalutis tuta & ſecura etiam Catholicis cum Doctorum approbatione obtruſit!

§. XXII.

Circa Fortitudinem.

Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. *Matth.* 26.

SAnè ſi probabilitas ad ſalutem ſufficeret, quæcumque in hac Morali Laxiori dicuntur, poſſent ſufficere ad ſalutem, cum habeant rationem non modici momenti, vel ſaltem putari poſſunt habere: ſicuti amor inordinatus putat circa fortitudinem Chriſtianam, quod ad illam non teneatur vſque ad perdendum diuitias omnes, vſque ad ſuſtinendas omnes contumelias, & omnia ludibria, vſque ad perferenda quælibet tormenta, vſque ad mortem ipſam: dicit enim ſufficere quòd Chriſtus & Apoſtoli, & primi Martyres iſta ſuſtinuerint, quando fundanda erat Eccleſia ſuper ipſorum ſanguine; ſed quod eâ iam ſtabilitâ fideles ad tam grauia non tenentur; adeoque quod poſſint fingere ſe eſſe Chriſtianos, & exercere idololatriam exteriorem cum reſtrictione mentali, ne perdant ſuas diuitias, ſuos honores, nè afficiantur grauibus tormentis, vel etiam morte.

Quod per conſequens poſſint in graui periculo conſtituti violare mandata Dei, vt iurare falſum cum reſtrictione mentali, ſe inebriare, dum ad hoc coguntur, ne graue malum eis inferatur. Generatim vbi fortitudo debet vim animo-

mo inferre, vt quælibet aduerſa potius tolerentur, quam quod fides Chriſti, vel eius doctrina exterius deſeratur (ait enim *qui me erubuerit coram hominibus, erubeſcam & ego eum coram Patre meo, qui in cælis eſt*) dicit amor inordinatus fidem Chriſti exterius poſſe deſeri, modo interius retineatur: Dicit etiam Chriſti doctrinam eſſe ſuauem; & ideo non obligare cum periculo perdendi notabiles diuitias, aut honorem, multò minus vitam: Cum tamen Chriſtus dicat, *qui non renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, nō poteſt meus eſſe diſcipulus: qui vult venire poſt me: abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam & ſequatur me; qui amat animam ſuam, perdet eam.*

Neque refert quod aliquãdo liceat diſſimulare fidem Chriſti, & eius doctrinam occultare, quando ſcilicet nihil boni, ſed multum mali imminet ex eius propalatione: tamen numquam licet ſimulare aliquam Religionem, vel Doctrinam profiteri aduerſam Religioni, aut Doctrinæ Chriſtianæ; quia hoc eſſet Chriſtum negare. Vndè puſillanimitas vincenda eſt per gratiam eiuſdem, qui dicit, *confidite, ego vici mundum*: ſeu vt interpretatur eius Diſcipulus Ioannes in 1. Epiſtola: *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum fides veſtra.* Debet etiam fortitudo Chriſtiana potius quodlibet pati, quã amorem Dei aut proximi, ſeu charitatis, ſeu iuſtitiæ, quomodocumque lædere. Cum tamen amor inordinatus ſuſtineat tantum proximum eſſe amandùm,

dum,quando ipſum amare non eſt ſibi contrarium; quamuis enim talis amor ſit inordinatus;ſe tamen ordinatum putat hoc ipſo,quo incipit à ſe ipſo, quem ſic interpretatur, vt putet idem eſse ſe amare, quàm quòd ſibi ipſi placere,in omnibus lætari, in nullo triſtari,præſertim lætitia,& triſtitia,quæ ſunt ſecundum ſæculum.

§. XXIII.

Circa Temperantiam.

Venite, & fruamur bonis,quæ ſunt,& vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter. *Sap.* 2.

NVllibi ſpecioſiores titulos habet amor inordinatus, quàm circa temperantiam, id eſt,cohibitionem animi,quatenùs per ſuperbiam vitæ,per iram, per concupiſcentiam oculorum, per concupiſcentiam carnis, & per immodeſtiam exteriùs ſeſe diffundit,& effundit.

Pro primo prætextu allegat neceſſitatem ſeſe manutenendi,defendendi,ſuſtentandi,propagandi, aut recreandi, & comparandi in humana ſocietate,ſicut virum honeſtum decet.

Pro ſecundo prætextu allegat voluptatem homini debitam:quia quando Deus ipſum creauit, poſuit in Paradiſum voluptatis, vt operaretur ibi,& cuſtodiret illum.

Quibus poſitis facilè ſibi perſuadet, quòd vitia temperantiæ contraria ſint virtutes.

§. XXIV.

§. XXIV.

Circa Humilitatem.

Coronemus nos roſis, antequam marceſcant. *Sap. 2.*

AMor inordinatus primorum Parentum, ab eſu fructus vetiti in Paradiſo, perſeuerat in nobis in exilio, noſtraq; omnis ſuperbia in eo conſiſtit, vt quemadmodum primi Parentes vſi ſunt re ſenſibili, vt peruenirent ad finem ſuæ ſuperbiæ; ita nos in rebus ſenſibilibus noſtram ſuperbiam apparere faciamus. Imprimis igitur amor noſter inordinatus in materia temperantiæ, vult videri ordinatus, quando in ſocietate hominum vult omnibus ratione præcellere, & omnem rationem contrariam, etiamſi eſſet diuinum oraculum, nititur reprobare, habendo ſemper ad manum vnum, quare? difficile ſoluendum ab huius ſæculi prudentibus, facilè autem ſoluendum à quolibet humili veritatis amatore dicendo quod in humana ſocietate oporteat aliorum rationi deferre, donec euidens ſit illam ipſi veritati aduerſari; uel quod incumbat nobis aliorum rationem, etiam dubiam, corrigere,

§. XXV.

§. XXV.

Circa Manſuetudinem.

Egrediamur foras. *Gen.* 4.

AMor inordinatus ex duplici cauſa iram excuſat: primò quia de ſe eſt paſſio valdè vehemens, quæ rationem præuenit, & ſic à peccato excuſat: ſecundò quia malum à nobis remouendum eſt, à quacumque cauſa inferatur; eò quòd ad arcendum á nobis malum ira nobis innata ſit, & cùm illud arcere non poſſumus, iuſtam eſſe impatientiam prætendit. Sed contra eſt illud Euangelij; *Oportebat Chriſtum pati, & ita introire in gloriam ſuam*; ergo & nos, qui peccatores ſumus, propter proprium peccatum pati debemus.

§. XXVI.

Circa Clementiam.

Pater aggrauauit iugum veſtrum, ego autem addam iugo veſtro: Pater meus cæcidit vos flagellis, ego autem cędam vos ſcorpionibus. 3. *Reg.* 12.

AMor inordinatus dicit rigorem neceſſarium eſſe, vt ſuos ſubditos in officio ſuo contineat: & ſub illo prætextu in illos ſæuit, vt ijs dominętur, vt terrore incuſſo liberiùs ſuis

cupi-

cupiditatibus indulgeat, quas nemo corrigere audet. Cùm tamen ſolùm punire deberet, cum moderatione, & amoris oſtenſione, vt ſubditis correctis Clemens eſſet.

§. XXVII.

Circa ſobrietatem diuitiarum.

Quid manducabimus, aut quid bibemus; aut quo operiemur? *Matth.6.*

APpetendarum diuitiarum non eſt finis, quia pecuniæ obediunt omnia; & qui habet vltrò appetitur, & qui eſt pauper aſpernatur. Et quia charitas in mundo multùm deficit, putatur etiam defeciſſe diuina prouidentia, vt non habeat amplius locum iſtud Euangelicum: *Quærite primùm Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & cætera adijcientur vobis.* Idcircò amor inordinatus laxat habenas cupiditati ſub prætextu propriæ charitatis, quæ à ſeipſo incipit, contra charitatem proximi, & frequẽter contra iuſtitiam eiuſdem, ſub prætextu propriæ neceſsitatis, vel iuſtitiæ maioris. Cùm tamen charitas Chriſtiana non quærat quæ ſua ſunt, & iuſtitia reddat cuique quod ſuum eſt.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Circa ſobrietatem eſculentorum & poculentorum.

Dæmonium habet. *Matth.* 11.

Eſculenta, & poculenta ſunt proxime vitæ neceſſaria,& ſine voluptate ſumpta non pro unt,& ſine illis in multis Regionibus non intertinetur humana ſocietas; ideoque duplex maximè ſpecioſus in illis eſt titulus neceſſitatis & voluptatis. Et quia incumbit homini ſuam ſanitatem conſeruare; & ad illam conſeruandã quãdoque neceſſarius iudicatur exceſſus, vti frequentiſſimè iudicatur, & fit, & practicatur ad alendam ſocietatem humanam; idcirco blandiens ſibi amor inordinatus non vocat gulam, aut ebrietatem, niſi exceſſum illum qui naturam vel rationem prorsùs voluntariè cauſa ſolius voluptatis obruit: ita vt nullum reputet peccatum, vel ad ſummum veniale, voluntariè comedere & bibere vſque ad vomitum, vel ebrietatẽ, modo adſit iuſta aliqua cauſa v.g. naturæ euacuandæ; vel rationis ad depllendam melancholiam ſopiendæ, aut ſocietatis humanæ intertinendæ, contra illa Scripturę loca. *Videte ne grauentur corda veſtra crapula, vel ebrietate. Fratres ſobrij eſtote,&c. Regnũ Dei non eſt eſca, & po-*

potus; *fructus autem carnis ſunt, commeſſationes, & ebrietates*,&c. *& qui talia agunt Regnum Dei non conſequentur*. Et ſanè nec humana ſanitas, nec humana ſocietas ad ſui conſeruationem indigent exceſſu, ſed ſola moderatione, ſeu temperantia, quæ ipſis è contra non ſolum vtilis, ſed ſummè neceſſaria eſt propter mala, quæ ipſis eueniunt ex exceſſibus cibi, & potus. Quin-imò non eſt Chriſtiani comedere aut bibere, etiam moderatè, propter ſolam voluptatem; quia voluptas non eſt propter ſe, ſed propter neceſſitatem.

§. XXIX.

Circa Caſtitatem.

Victimas pro ſalute voui, hodie reddidi vota mea. Idcirco egreſſa ſum in occurſum tuum..... veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illuceſcat dies. *Prou.* 7.

NVllibi amor inordinatus magis æquus eſſe vult; & nullibi magis eſt iniquus, quàm in vitijs carnalibus. Nam æquus eſſe vult, quatenus vitia contra naturam nulla eſſe prætendit, eo quòd in ipſis ſolam quærat voluptatem, quam de iure naturæ putat ſibi licitam & debitam: eaque ſolummodò mala eſse putat, quando vergunt in dedecus, vel in detrimentum proprium, aut fortè etiam proximi. Dico, mala

mala, quia non putat eſſe peccata, niſi quando iniuria aliqua proximo infertur per illa, quæ non poteſt excuſari, quia putat ſibi ipſi fieri: v.g dum violatur alienus thorus per adulteriũ ſecuta prole, vel quando virgo aliena inuita defloratur, aut eius defloratio in publicum venit maximè per ingrauidationem: alioquin putat pollutionem, ſodomiam, beſtialitatem, cogitationes turpes, verba, & tactus impudicos in ordine ad quamcumque perſonam non eſſe peccata, quia in ijs ſola voluptas quæritur citra iniuriam alienam (ſicut opinatur) quia nulla homini animali in iſtis culpa, vel iniuria apparet.

Putat inſuper fornicationem ſimplicem, ſtuprum, adulterium, & reliqua vitia ſecundùm naturam eſſe licita, modò adſit vtrimque conſenſus, nec fiat iniuria alicui tertio, propter quam euitandam cauet quantùm poteſt generationem prolis, & ſic facit peccata ſecundùm naturam eſſe contra naturam, quamuis nulla putet eſſe peccata. Leges autem Scripturæ Sacræ contrarias vel ignorat, vel ut terriculamenta puerorum explodit, contra dicta in Morali Tutiori.

Verùm quidem eſt, eſſe quoſdam Moralis Laxioris Magiſtros, qui dicunt omnia, quæ vergunt ad deciſionem ſeminis humani extra actum coniugij eſſe illicita; & ſic omnia prædicta vitia reprobare videntur: ſed virtute illa ad-

admittunt, quando eaſdem omnes voluptates permittunt per modum ſenſualitatis, modò nō ſit periculum effuſionis ſeminis, quod ſæpè ex naturæ defectu contingit: v.g. in ſenibus, vel eunuchis, vel aliquando etiam in ebrijs, non ex defectu deprauatæ voluntatis, quæ, quantùm in ſe eſt, in omni carnali ſenſualitate ſemper tendit ad excitationem fomitis, & per conſequens ad commotionem ſpirituum deciſioni ſeminis inſeruientium, ſi eius copia adeſſet: vndè homo corruptus eſt quaſi herba, noli me tangere, niſi me vis ad carnalem concupiſcentiam mouere.

Quod etiam in Matrimonio extra coniugalem actum maximè locum habet propter continuam occaſionem ſimilium ſenſualitatum, quę ſunt illicitæ, niſi tendant ad actum coniugij hìc, & nunc exercendum: quamuis Moralis Laxior à fortiori omnia licita putet in cōiugio; quia nō vult eſſe tàm rigida quàm ſanctus Paulus, qui dicit, quòd coniuges tribulationem carnis habebunt huiuſmodi, id eſt, maximam, & inexplicabilem, ſi caſti viuere volunt; & ſanè maiorem adhuc habebunt; ſi in continua incontinentia, quæ eſt inexplebilis, iuxta Moralem Laxiorem viuere velint.

§. LXXX.

§. XXX.

Circa modeſtiam in exterioribus motibus corporis.

Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas: garrula, & vaga, quietis impatiens. *Prou.* 7.

AMor inordinatus in exteriori hominum conuerſatione omnia ſua dicta, & facta propria vtilitate, & proprio beneplacito metitur; quia ſibi ſoli prudens videtur. Detrahit, calumniatur, rixatur, ſeſe extollit, parentes inhonorat, rem alienam vſurpat, verba impudica profert, delectationibus gulæ, & luxuriæ paſcitur, &c. omnia benè, quia putat probabile.

§. XXXI.

Circa modeſtiam in exteriori apparatu.

Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidiè ſplendidè. *Lucæ* 15.

REgulam ſuæ modeſtiæ in exteriori apparatu veſtium, domorum, conuiuiorum, curruum, & aliorum ſimilium, non aliàm ponit, quàm ipſi ponatur ab egeſtate, & impoten-

tentia dilatandi ſua phylacteria; vel à propria auaritia, qua ſe priuat pompà, non quia pompam odit, ſed quia pompa depauperari timet.

§. XXXII.

Circa obligationem generalem omnium hominum ad prædicta ſeruanda.

Recede à nobis: ſcientiam viarum tuarum nolumus. *Iob* 21.

EX dictis in hac Morali Laxiore facilè erit amori inordinato excutere à ſe omnes obligationes in Morali Tutiore poſitas, vtendo in ſingulis materijs plauſibili aliqua excuſatione, ad quam ipſi ſufficit non modici momenti ratio, vel authoritas ſaltem putata.

PARS SECVNDA.

§. I.

Circa Chriſtum.

Pater noſter Abraham eſt. *Ioannis* 8.

AMor inordinatus ſupra modum in Chriſto gloriatur, clamat illum Redemptorem ſuum, Mediatorem ſuum, Caput, &c. deprædicat ipſius paſſiones, ſed pati non vult; putat enim ſufficere, quod Redemptor ſuus paſſus ſit, & quòd Mediator offerat merita ſua Patri Æterno pro ſe. Agnoſcit Caput, ſed exaltatum, non vt ſequatur humiliatum. Fatetur oportere quidem aliquando pati, ſed inuitum: ſuſcipiendam à Confeſſario pro peccatis pœnitentiam, ſed leuem, atque ad arbitrium.

§. II.

Circa Gratiam in communi.

Nos ex fornicatione non ſumus nati. *Ioannis*. 8.

LIbenter agnoſcit gratiam primo Parenti datam: ſed cùm fateri cogitur, eum à gra-

gratia primi ſtatus, totamque in ipſo propaginem hominum ab eadem excidiſſe; quia non capit iſtũ totius poſteritatis lapſum in Adam, dicit Deum fuiſſe obligatum mittere Redemptorem, aut quocumque alio modo debuiſſe miſereri, ne quis periret ſine ſua culpa; & ideò gratiam iſtius Redemptoris omnibus dari debuiſſe, ne quis inculpatus periret. Quaſi verò non ſit deputandum diuinæ Miſericordiæ ſoli, & non Iuſtitiæ (ſicut deputant Scripturæ, & Sancti Patres, præſertim Auguſtinus in hac materia triumphator hæreticorum) quòd Redemptorem miſerit, & non omnes reliquerit in maſſa damnationis, ſicut relinquit paruulos innumeros, qui moriuntur ſine Baptiſmo; ſicut relinquit indefinitos Paganos, & adultos Iudæos, quibus non dat lumen gratiæ Chriſti: ſicut etiam permittit maximam partẽ Chriſtianorum, vel per hæreſim, aut aliam infidelitatem, vel per peccatum mortale relabi in corruptionem huius maſſæ, & in ea putreſcere, ac damnari: ita vt potiùs cum Paulo dicere debeamus; *O Amor inordinate! tu quis es qui reſpondeas Deo? numquid poteſt figulus ex eadem maſſa aliqua vaſa facere in honorem, & aliqua in contumeliam?*

§. III.

Circa Gratiam Adæ.

Vnum Patrem habemus Deum. *Ioannis* 8.

LIbenter (vt dictum eſt titulo præcedenti) Gratiam Adæ collatam agnoſcit: ſed gloriando in viribus ſuis, quaſi ea non eguiſſet, nec egeret propter naturæ ſuæ integritatem. Vti patuit in primis parentibus, qui reiecta gratia voluerunt contra Dei mandatum per naturam ſeſe efficere ſicut Deos in ſcientia boni, & mali: ſed non oſtenderunt niſi ſuam paupertatem, ſtatim ac reiecta gratia prodiderunt, & viderunt ſuam nuditatem.

§. IV.

Circa Gratiam Christi.

Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus vmquam: Quomodo tu dicis liberi eritis? *Ioannis* 8.

LIbenter etiam (vt ibidem dictum eſt) agnoſcit Gratiam Chriſti, imò omnibus debitam putat: ſed etiam ſubijcit libero arbitrio. ſic vt innatis eius viribus volendo, aut nolendo acceptetur, vel repudietur.

Hinc Sanctus Proſper libro de ingratis cap. 10. his verſibus formã gratiæ Semipelagianę ità deſcribit:

Vt

Vt cunctos vocet illa quidem, inuitetque nec vllum
Præteriens ſtudeat communem adferre ſalutem
Omnibus, & totum peccato abſoluere mundum.
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
Iudicioque ſuo, mota ſe extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ ſe non ſubſtrahat vlli,
Sed cupidos recti iuuet, illuſtretque volentes.
Hinc adiutoris Domini bonitate magiſtra
Creſcere virtutum ſtudia, vt quod quiſque petendũ
Mandatis didicit, iugi ſectetur amore.
Eſſe autem edoctis iſtam communiter æquam
Libertatem animis, vt curſum explere beatum
Perſiſtendo queant: finem effectumque petitum
Dante Deo; ingenijs qui numquam deſit honeſtis.
Sed quia non idem eſt cunctis vigor, & variarum
Illecebris rerum trahitur diſperſa voluntas:
Spontè aliquos vitijs ſuccumbere qui potuiſſent
A lapſu reuocare pedem, ſtabileſque manere.

Vndè dicit paruulos, qui moriũtur ſine gratia Baptiſmi, & ſine vſu liberi arbitrij, nullã pati pœnam ſeu ſenſus, ſeù damni, id eſt, nullo affici dolore ſenſibili ab igne, aut intelligibili propter priuationem viſionis beatificæ: ſed eos ponit in loco amœno ſimili iſti, quem olim Poetæ vocauerunt Campos Eliſios. Cùm tamen de Fide Catholica ſit gratiam Chriſti eſſe indebitam ipſi Adæ corrupto, & omnibus eius poſteris; & iuſtum Deum (vti ſupra dictum eſt) potuiſſe damnare cũ Adam totam eius poſteritatem: potuiſſe applicare vni Redemptionem

Filij, & non alteri: ac reuera applicuiſſe; & gratis omninò aſſeratur, quòd illi, qui ſunt natura filij iræ, morientes ſine participatione gratiæ Chriſti, ſint immunes ab omni tormento. Denique videtur iniurioſum gratiæ Chriſti, quòd ſubijciatur libero arbitrio à ſe liberato, cùm iuxta ſcripturam, à quo quis ſuperatus eſt, eius & ſeruus eſſe debeat. Superatur autem à gratia Chriſti malitia voluntatis; ac proindè voluntas gratiæ Chriſti ſubijci debet, vti reuera ſubijcitur iuxta Doctrinam Magni Auguſtini, & diſcipuli eius Proſperi, qui cap. 11. ſic Semipelagianos refutare orditur.

Iam quia ſummatim, vt potuit, ſententia veſtra
Decurſa eſt: dic vndè probes, quòd Gratia Chriſti
Nullũ omninò hominem de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
Impertire velit? &c.

§. V.

Circa Sacramenta Chriſti.

Phariſæi, & omnes Iudæi, niſi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem Seniorum. *Marci 7.*

AMor inordinatus reſpicit Sacramẽta Chriſti ſicut auarus reſpicit pecuniam. Quemadmodum enim auarus reſpicit pecuniam in ordine ad vitam ſuam corporalem; ita amor inordinatus reſpicit Sacramenta Chriſti in ordine

dine ad vitam ſuam ſpiritualem:& quemadmodum auarus non amat pecuniam niſi propter ſe; ita nec amor inordinatus quærit Sacramenta niſi propter ſe; ideoque non habet maiorem Sacramentorum reſpectum, quàm auarus pecuniarum. Cùm tamen inter pecunias ad vitam corporalem,& Sacramenta ad vitam ſpiritalem hæc ſit differentia,quòd pecuniæ nihil aliud includant,quàm eſſe vtiles nobis; Sacramēta verò propter Authorē ſuum Chriſtū, eiuſque aut Spiritus Sancti præſentiam includant eſſe venerabilia, & pro fine non habeant vtentem, ſed ipſum Deum, qui per illa nos ſanctificat, vt per illa nos ſe dignos reddat.

Præterea amor inordinatus Sacramenta exiſtimat eſſe remedia infirmitatis ſpiritualis, ſicut medicina corporalis eſt remedium infirmitatis corporis: putat enim Sacramenta cauſare gratiam ſanctificantem in anima etiam adulti ſine diſpoſitione ipſius, ſicut medicina corporalis cauſat ſanitatem corporis ſine præuia diſpoſitione ipſius. Quaſi verò anima non plus cooperetur ſuæ ſaluti per liberum arbitrium gratia actuali adiutum, quàm corpus libero arbitrio deſtitutum cooperetur ſuæ ſanitati.

Circa ſingula Sacramenta in ſpecie non iudico aliam Moralem Laxiorē eſſe attēdendam, & cauendam, quàm illam, quæ à me reprobata eſt in Morali Tutiore:vnde tranſeo ad aliàs laxitates.

§. VI.

Circa Fidem Diuinam.

Quod ergò tu facis ſignum, vt videamus, & credamus tibi? *Ioannis 6.*

AMor inordinatus non putat credendum eſſe fide diuina vltra rationes humanas, quæ nos mouent ad credendum; ideoque putat ſufficere probabilitatem iſtarum rationum (eas enim ſolùm iudicat probabiles) ad eliciẽdum fidem diuinam. Quaſi verò vltima ratio fidei diuinæ eſſet humana ratio, vel authoritas, non verò diuinum quoddam lumen à Spiritu Sancto cælitùs emiſſum, quo mens hominis incomparabiliter magis illuſtratur, ac perſuadatur ad eliciendum aſſenſum fidei diuinæ, quàm vlla humana ratione, vel authoritate, ad eliciendum aſſenſum ſcientificum, aut fidei humanæ! Lumen enim diuinum eſt omni lumine naturali illuſtrius, & certius propter Spiritus Sancti illud immediatè producentis eſſentialem, ſeu omnimodam infallibilitatem.

Hinc apparet, quòd fides amoris inordinati non ſit diuina, quia capacitatem humani intellectus non excedit, eò quòd vltimatè reſoluatur in rationem, vel authoritatem humanam: cum tamẽ fides diuina vltimatè reſoluatur in authoritatem diuinam, eique totaliter innitatur.

§. VII.

§. VII.

Circa rationes credibilitatis.

In Beelzebub Principe Dęmoniorum eijcit Dæmonia. *Lucæ.* 11.

HIc obijcit amor inordinatus, & dicit ad quid ergo rationes credibilitatis? ad quod reſpondeo,rationes illas induci, quia (vt dictum eſt in Morali Tutiore) homo rationalis non credit ſine ratione:ſed cum finitæ rationis ſit, & fides ſit eorum, quæ finitæ rationi non apparent(eſt enim argumentum non apparentium)manifeſtum eſt,rationes credibilitatis nõ ſufficere ad fidem ingenerandam ſed inſuper requiri aliquod lumen diuinum, quod rationẽ illuſtrat ad credendũ illa,quę ſunt ſupra ipſam.

Neque refert quod ratio finita Deum ſatis attingat, vt ſciat illum eſſe ſummè Veracem; ac proindè non poſſe fallere in reuelando: & quod ex notis Eccleſiæ in Morali Tutiore adductis ſufficienter, non probabiliter ſolum,conſtet humanæ rationi quòd Deus locutus ſit ea, quæ Eccleſia proponit ipſi credenda: quia equidẽ de illis omnibus non conſtat niſi humano modo,qui natus eſt quidem ſatisfacere omnibus bonis mentibus: ſed quia omnes mentes ab vtero ſunt corruptæ, & multis laborant præiudicijs à veritatibus fidei alienis; idcircò

præ

præter rationes illas oportet ſuperaddi aliquod lumen diuinum, quod lumen naturale, perficiat ad eliciendam fidem diuinam: licet enim rationes credibilitatis forent omnibus tam euidentes, quam duo & tria eſſe quinque, equidem non ſufficerent ad aſſenſum fidei diuinæ; quia tunc intellectus non aſſentiretur iſtis veritatibus propter ſolam veracitatem diuinam, ſed propter rationum euidentiam, quod eſt contra rationem fidei diuinæ: nec aſſenſus ille terminaretur ad propoſitiones obſcuras à Deo reuelatas, ſed ad ipſam reuelationem, quatenus de illa euidenter conſtaret; vel ſi terminaretur ad iſtas propoſitiones hoc non eſſet præciſè ideò, quia Deus eas reuelauit, ſed quia de ipſarum reuelatione humana ratio teſtimonium redderet. Quæ conuictio foret naturalis, relinquẽs intellectum in ſeipſo, non ſupernaturalis, quæ eleuat intellectum ſupra ſeipſum, & diuinæ Veracitati immediatè coniungit in obſequium fidei.

§. VIII.

Circa neceſſitatem credendorum.

Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas? & cum hoc dixiſſet, iterum exiuit ad Iudæos. *Ioannis* 18.

AMor inordinatus quod non poteſt intelligere, non vult credere, Vndè ſtultum ei

videtur

vi detur ſidem eorum,quæ intelligere non poteſt,requirere vt neceſſariam ad ſalutem. Quia vero ratio naturalis & ſenſus corporis ſuadent Deum eſſe,& Remuneratorẽ eſſe;hinc non difficulter concedit ſidem eorum, ſaltem communiter,neceſsariam eſse ad ſalutem; rudes tamen non raró admittit inculpabiliter Deum ignorare, eoſque propter hanc ignorantiam negat ſuis malefactis etiam grauiſſimis mereri æternam gehennæ pœnam. Quædam veró ſic eſse ad ſalutem neceſſitate medij ad credendum neceſsaria,vt ijs inculpabiliter ignoratis,quis ſaluari non poſſit, tyrannicum iudicat. Adeoque quod Deus ſit trinus in Perſonis,& quod Filius Dei ſit Incarnatus, cum nec ratio attingat,nec ſenſus corporis ſuadeat ; ſi quis propter ignorantiam horum damnaretur, quando ipſi prædicata non ſunt,videretur iniuſtè damnari,quia inculpatè:imò fieri poſset, vt damnaretur cum notitia & amore vnius Dei, & cum mandatorum eius obſeruatione.

Verum dicendum eſt,quod in tali caſu non damnetur quis propter ignorantiam iſtorum myſteriorum,ſed propter peccatum originale, quod ipſi non remittitur,niſi in fide Mediatoris per quem ſolum poſt lapſum Adæ datur acceſſus ad Patrem.Sicuti ſi quis inculpate Deum ignoraret,non ideo damnaretur, quia illum ignoraret,ſed quia non remitteretur ipſi peccatum,niſi ad Deum conuerteretur,ad quem conuerti

uerti nõ poſset, niſi illum ſciret, aut crederet. Sicuti etiam non damnatur paruulus moriens ſine Baptiſmo, quia Baptiſmo caruit; ſed quia moritur in peccato originali, quod nec per fidem, nec per Baptiſmum eſt deletum.

Hinc eluceſcit differentia inter neceſſitatem medij, & neceſſitatem præcepti, quod quis non damnetur propter ignorantiam eorum, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem; ſed damnatur propter peccatum originale, quod non remittitur ſine illorum ſcientia: damnatur vero quis propter ignorantiam eorum, quæ ſunt neceſſaria ſcitu neceſſitate præcepti, quia ſupponitur illa ignorantia eſſe culpabilis propter negligentiam, aut contemptum addiſcendi: alioquin ſi quis ſciret neceſſaria neceſſitate medij, & ſecundum illa viueret; ignoraret autem neceſſaria neceſſitate præcepti ſine ſua culpa, quia ſcilicet non audiuit de præcepto, nec audire potuit, ſaluaretur.

Vt verò amor inordinatus laxet hanc præcepti neceſſitatem, dicit quod ſufficiat Chriſtianis rudibus ſcire inſtar pſittaci ſuum Pater noſter, Aue Maria, & Præcepta Decalogi & Eccleſiæ, ac Septem Eccleſiæ Sacramenta: quia recitando iſta, intendunt illa orare, facere & credere, quæ Eccleſia orat, facit & credit: nec putat plus à talibus requiri poſſe, quia non putat maioris ſcientiæ eſſe capaces; imò propter difficultatem addiſcendi memoriter iſta verba,

excu-

excuſat illos à recitatione, & dicit fidem Carbonarij ſufficere, vt ſi interrogentur, quid credant, ſufficiat illis dicere, credimus quod credit Eccleſia; & ſi quæratur ab illis, quid Eccleſia credat, reſpondere ſufficiat, quod nos credimus. Sed pro dolore non eſt paſſim defectus capacitatis addiſcendi & intelligendi, ſed æternæ ſalutis incuria, quæ ordinariè prouenit ex Paſtorum, Prædicatorum, & aliorum Directorum animarum, vel negligentia, vel ignorantia, vel Diuinorum paruipenſione; quæ proinde non eſt mirum reperiri in minoribus, cum reperiantur in pleriſque maioribus, qui minorum curam gerunt, & cœci cœcis ducatum præbent, ambo in foueam caſuri, niſi aperiant oculos.

§. IX.

Circa profeſſionem Fidei.

Neſcio quid dicis . . . . quia non noui hominem. *Matth* 26.

VT ſciatur quid alleget amor inordinatus contra neceſſitatem profeſſionis fidei, poteſt colligi ex dictis hìc, & in Morali Tutiore, & ex dictis in Morali Laxiore circa Fortitudinem: vnde plura non addo.

§. X.

§. X.

Circa Spem Diuinam.

Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis,& non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis. *Sap.* 2.

AMor inordinatus ſtatuit Spem diuinam in amore carnalis concupiſcentiæ, & dicit ſufficere ad ſalutem illum amorem Dei, quo fur amat Iudicem,quia illnm abſoluit a patibulo:nam talis amor non eſt amor Dei, ſicut nec ipſius Iudicis, ſed ſui ipſius referentis bonitatem Dei & Iudicis ad ſe,

Vtque amor inordinatus ſuam inordinationem palliet,dicit hanc concupiſcentiam ſalutis eſſe:cum tamen per talem concupiſcentiam ideo Deum ſperet, quia debet mori; alioquin dicturus,*Cælum Cæli Domino,terram autem dedit filijs hominum*: nec vult habere Deum, niſi quia cupit euadere infernum,eumque concupiſcit mere in ordine ad ſe,nè ſit omnino miſer, quando erit mortuus, præferens in corde vitam præſentem omni vitæ futuræ, & Deum reputans pro ſolatio imaginario reſpectu deliciarum vitæ præſentis:ac proindè nec Deum, nec Beatitudinem, nec Infernum reipſa firmiter credit.

§.XI.

§. XI.

Circa Charitatem.

Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. *Matth.* 5.

SEd quid mirum ſi amor inordinatus conſtituat ſpem diuinam in concupiſcentia, cum dicat non aliam requiri Dei dilectionem ad ſalutem, quam ſimilem illi, qua quis diligit ſuum equum propter commoditatem, & voluptatem, quam ex equo percipit? quid mirum ſi neget diligendum inimicum amore beneuolentiæ, qui negat deberi ſic diligi amicum, imo & ipſum Deum? diligit ergo amor inordinatus omnia propter ſe, & facit ſeipſum Deum.

§. XII.

Circa obligationem omnia referendi in Deum, velut finem vltimum.

Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus. *Pſal.* 52.

VNdè importabile iugum, & anathemate dignum æſtimat in hac naturæ infirmitate non ſolum ponere ſtrictam obligationem omnia referendi in Deum uelut finem vltimum: eo quod pręceptum Charitatis, ex quo obligatio iſta profluere deberet, eſt affirmatiuũ

quod

quod proinde non obligat ad ſemper, nec ad ſingulos actus; verum etiam probabile exiſtimat, quod numquam abſolutè obliget in hac vita, quia per attritionem ex puro & puto metu gehennę conceptam cum Sacramento Pœnitentiæ ſuppleri non dubitat, etiam in articulo mortis; ideò quoad ſententiam Apoſtolicam de omnibus faciendis ad gloriam Dei gaudet benigna illorum interpretatione, qui dicunt eſſe conſilium, non præceptum, & omnes virtutes veras ex officio, non ex fine tales eſſe prætendit, ipſamque charitatem in præceptorum aliorum obſeruatione, non in proprio obiecto, qui eſt finis vltimus, adimpleri.

Rationem horum omnium allegat quia pręceptum dilectionis interioris Dei propter ſe, & proximi propter Deum, eſſe nimis difficile in hac vita autumat, &, ſi homines illo tenentur, iugum Chriſti non fore dicēdum ſuaue, ſed amarū, non onus leue; ſed graue & importabile.

Et contra licitum docet quærerę propter ſe delectationes ſenſuales, diuitias, & terrenos honores, eiſque inhærere: quia hoc naturę eſt conforme, nec apparet ullum peccatum ſequi naturæ inclinationes quamdiu illis ſatisfit citra eius læſionem, & iniuriam tertij, ſiuè quando non ſunt contra alia præcepta.

Verùm quoad Dei dilectionem in interiori affectu, ſatis apparet ex Morali Tutiore, quanta ſit eius neceſſitas. Nec habet apparentiam, quod

quod hic additur de maritudine iugi,& grauitate oneris Chriſti, ſuppoſita obligatione Deũ diligendi ſuper omnia affectu dilectionis interioris: nam illud, quo cætera ſuauia redduntur nequit eſſe amarum; neque illud, quo cætera leuia redduntur, poteſt eſſe ponderoſum, & opprimens portantem. Quid eſt illud? nempè amor, de quo veriſſimè dictum eſt: *Amanti nihil difficile*; & ex aduerſo, non amanti omnia difficilia ſunt. Iugum ſanè amarum & onus graue quodcumque imponitur non amanti, quia non acceptum, ſed impoſitum: nam ſi acceptum, voluntate acceptum, & ſi voluntate, etiam amore; cum primus & proprius voluntatis actus ſit amor. Vndè ſi per ſe non obliget præceptum amoris, nec alia præcepta obligant, quæ non niſi amore Dei implentur ad ſalutem, cum ad finẽ ſalutis nõ conducant: eoquod in homine non ſit ſalus, ſed in Deo ſolo. Obligat ergo ſemper & ad ſingulos actus præceptum omnia referendi in Deum actuali, vel virtuali intentione (vt in Morali Tutiore oſtenſum eſt) quia pręceptum charitatis, quãmuis affirmatiuum, includit negatiuum, vt nulla portio cordis, animæ, mentis, virium, à Dei dilectione ceſſet: hoc enim ſignificat: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis*. Nec per attritionem cum Sacramento aut quocumque alio ſuppleri poteſt in adultis, cum per ipſum

impletum omnia,ſicut oportet, impleantur, & ſine ipſo nihil,vt debet,impleatur, *Qui non diligit manet in morte.*

Quantum vero ad illas delectationes, diuitias,& honores,ſatis conſtat ex dictis circa tēperantiam cibi & potus, quod delectationes ſenſuum non ſint propter ſe quærendæ, ſed propter ſenſuum vſum ad finē alicuius alterius operationis exercendæ, & ad Dei gloriam vltimatè referendæ. Sicuti etiam evidens eſt, diuitias artificiales,id eſt, pecunias, non eſſe niſi propter naturales, id eſt, victum & amictum, quibus corporis neceſſitati ſubuenitur: ipſam vero corporis valetudinem non eſſe niſi propter mentis,cui vnitur, rationales operationes, & has propter Deum, ad cuius imaginem & ſimilitudinem homo factus eſt.Quod idem manifeſtum eſt de honoribus,qui ſoli virtuti, quæ in Deum tendit velut finem ſuum vltimum, legitimè deferuntur: alioquin vani & indebiti ſunt.

§. XIII.

Circa neceſſitatem & efficaciam orationis

Inuenit eos dormientes:erant enim oculi eorum grauati *Matth.*26.

AMor inordinatus ſibi ipſi inhærens, quia terrenus & animalis,piger eſt ad diuina

nec

nec quæ ſurſum ſunt ſapit; ſed quę ſuper terram; quia diabolicus,ſuperbus eſt,& indignum reputat, vt ſe humiliet. Ideo non orat,quia auxilium gratię ad agendũ ſibi ſemper adeſſe putat,differtque de die in diem bona agere propter ſuam cupiditatem in otio explendam, nec ſatagit illam ſuperare propter moleſtiam, & præſumit ſe facturum quando voluerit, etiam in puncto mortis, propter ſuperbiam; meritoque iudicat orationem ſibi non neceſſariam, dum ſibi ſemper adeſſe ſufficientem ad quodcumque opus bonum putat gratiam:nam quid ſtultius quam orare,vt facias,quod in poteſtate habeas:imo quoddam inſultationis & irriſionis genus eſt à Deo petere quod ſemper tibi ad manum eſt,& ipſe dare tenetur, ſicut amor inordinatus teneri affirmat,dum,ne diabolum declaret innocentem, & liberum à præceptis ſupernaturalibus,dicit illi in inferno neceſſario dari gratiam ſufficientem. Quid mirum quod dicat Deum fore iniuſtum, ſi non daret omnibus ad ſalutem auxilium, quod (ne ad illud obtinendum allaborare debeat) proximè ſufficiens ad opus,imo ad ſalutem ipſam per vnum bonum, Peccaui, in ſignum agnitionis culpæ, ſine opere pœnitẽtiæ,interpretatur;& ita quietè viuit,quietè vigilat quietè,epulatur, luxuriatur, &c.quietè dormit,& in pũcto ad inferna deſcẽdit. Efficaciam orationis non agnoſcit, quia eiuſdem neceſſitatem negat: imo putat illam

Deo iniurioſam eſſe; eò quòd gratis omnia largiatur,& ſciat quid nobis opus ſit,antequam petamus. Vbi abutitur textu, quo Chriſtus nos petere docet, non vt gentiles, quaſi Deum docentes multis verbis, ſed humili, & breui inſinuatione deſiderij noſtri, non ad generandam in Deo notitiam aliquam, ſed ad indigentiam noſtram coram ipſo agnoſcendam, & inuocandam eius miſericordiam.

§. XIV.

Circa obligationes ſingulorum Statuum.

Circa vocationem ad ſtatum, & curas Eccleſiaſticas.

Dic, vt hi duo filij mei ſedeant, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ad ſiniſtram in Regno tuo. *Matth.* 20.

AMor inordinatus facilè ſibi perſuadet clericalem ineſſe animum omnibus,qui ſtatum Eccleſiaſticum ingrediuntur: quia cùm talem ſtatum ingredi velint, ipſam voluntatem pro gratia diuina reputat, quam ſemper adeſſe non dubitat; atque ita pro vera vocatione habet, quod illa ad quemcumque ſtatum amplectendum ſuggerit. Nec putat illicitum quærere

rere Epiſcopatum, aliamue Prælaturam propter honorem, & bona temporalia annexa, modò tantùm ſibi fingat, quòd præeminentiam illam principaliter propter Dei gloriam, & ſalutem animarum quærat; non accepturus alioquin illam, niſi commoda honorum, & dignitatum ei coniuncta eſſent. Quinimò arbitratur ſe tantò magis obligari ad illam curam appetendam, & ſuſcipiendam, quantò hæc acceſſoria ſunt pinguiora: quia cùm ſint Dei dona, maior foret ingratitudo, ſi, illam recuſando, hæc reſpuerentur. Præſertim cùm hæc ſeruiant ad ſalutem animarum, & gloriam Dei, qui in ſplendore, & magnificentia ſuorum Eccleſiaſticorúm eo ampliùs æſtimabitur, quo ampliorẽ ſtatum tenebunt, & tantò plures ad Prælaturam animabunt, quantò magis parentes ſuos de bonis eccleſiaſticis ditabunt, vel ſaltem quantò lautius, & voluptuoſius viuent. Nec curanda multorum obloquia: quia ſplendere, diteſcere, & opiparè viuere plurimorum eſt. Quod autem fit à plurimis, pro iuſto, & practicabili ab homine habendum: quod autem paucorum eſt, pro hypocriſi, ſuperſtitione, ac inuidia reputandum. Hinc pinguiores Epiſcopatus, & Paſtoratus, aliaque beneficia Eccleſiaſtica preferenda macrioribus cenſet, & reipſa præponit arbitrans ſe obſequium præſtare Deo, dum de vno macriori ad aliud pinguius tranſit. Cumque exiſtimet Deum iſta pinguedine honorari,

illam emit munere à manu, ſeu pecunia, munere à lingua, ſeù laude, munere ab obſequio, ſeù ſeruitijs etiam iniuſtis. Nec putat hìc ſimoniam, quia hæc ſeruire dicit ad Dei gloriam.

Sed vbi Chriſtus dicens: *Bonus Paſtor animã ſuam ponit pro ouibus ſuis; Mercenarius autem fugit, quia Mercenarius eſt?* vbi Paulus; *nemo ſumit ſibi honorem, niſi qui vocatur à Deo ſicut Aaron?* vbi Petrus: *pecunia tua tecum ſit in perditionem, qui exiſtimaſti donum Dei pecunia æſtimari?* vbi ſancti Patres: Auguſtinus, qui de Epiſcopatu dicit, quod indecenter appetitur, licet teneatur, & adminiſtretur, vt debet: Hieronymus, qui dicit illos Eccleſiaſticos ſacrilegium committere, qui habentes vndè ſuſtententur ex bonis, & opibus parentum, quod pauperum eſt, accipiunt: Bernardus, qui ſic tibi, ò Eccleſiaſtice, dicit: quidquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de Altario retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt? Sed hi pauci ſunt, non ampliùs ſic viuitur; ideò hi non audiendi, quia amor inordinatus plurimorum eſt; plurimi autem ſibi, ſuiſque aggratulantur, ſi accipiant Prælaturam, vel beneficium, & tantò ampliùs, quantò fuerit pinguius, quia honoratius, & commodius.

§. XV.

§. XV.

Circa obligationem Eccleſiaſticorum, & præſertim Paſtorum.

Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos. *Ezech.* 34.

QVid de officio Eccleſiaſticorum cenſet amor inordinatus? dicit nullum teneri ad Horas Canonicas, qui non habet beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ad ſuſtentationem honeſtam, nec proindè teneri ad Chorum, niſi quando ſunt contributiones accipiendæ, & oſtenſa præſentia neceſſaria ad illas accipiendas, poſſe è Choro diſcedere; item poſſe celebrare Miſſam merè propter ſtipendium; nec vi ſolius Ordinis Sacri, etiam Presbyteratus, ad quidquam obligari; ſed Ordinem illum ſeruire ordinato tantùm ad maiorem vitæ honeſtatem, & commoditatem; adeòque licitè appeti, ſicut ſolet appeti ſæcularis dignitas.

Quæ perſuaſio ad ipſos vſque Paſtores penetrauit. Nam hi ſpiritualium curam committentes Vicarijs, de quorum capacitate non curant, modò bono pretio ipſis inſeruiant, maximè ſolliciti ſunt de obſeruando iuramento, quod fecerunt de defendendis iuribus ſui Paſtoratus, ſummumque piaculum eſſe putant, id eſt periurium profundo inferni dignum, ſi illud,

etiam poſtpoſita, & neglecta ouium cura, re-
ligioſiſſimè non ſeruent. Hinc illi mouent li-
tes, & noctes ducunt inſomnes pro conquiren-
dis inſtrumentis, & argumentis ad illa iura
conſeruanda. Currunt totos dies ad vrgendam,
& commendandam iuſtitiam cauſæ ſuæ: ad
ſcandala autem plebis permiſſiuè ſe habent. Iu-
ra ſepulturæ extorquent à pauperibus, & fide-
iuſſionem exigunt pro iuribus antequam ſepe-
liant. Ad Sacramenta adminiſtranda, vbi pin-
gue honorarium non expectatur, tardi, & inuo-
luntarij ſunt. Sub titulo hoſpitalitatis conui-
uia opipara inſtituunt, mobiliaque pretioſa
ſub titulo honeſtatis ſibi comparant. Et ſi in
his conſcientia remordeat, ad remedia contra
ſcrupulos recurrunt: nec ipſi populos ſibi com-
miſſos inſtruunt, alijſque inſtruentibus indi-
gnantur; quia ex concurſu plebis ad alios quę-
ſtum ſuum diminui vident, aut putant. Vndè
ſi magis eſſet quæſtio de animarum, quam de
nummorum lucro; Paſtores iſti magis ſtude-
rent paſcendis ouibus, quam lucrandis litibus,
& harum potius, quam iſtarum curam commit-
terent Vicarijs, nec indignarentur alijs in po-
pulorum ſibi commiſſorum inſtructionem, &
ſalutem ex Charitate incumbentibus; ſed con-
ſiderantes meſſem eſſe multã, & operarios pau-
cos, Domino meſſis gratias agerent, quod ſibi
tales cooperatores adiungeret, & plures tales
ab eodem adiungi inſtanter rogarent; ſicque ex
oui-

ouibus iam adductis, & alijs adducendis ouile Domini impleretur, quia multi paſtores, & paſtorum coadiutores in vnius Supremi Paſtoris Doctrina, & Charitate vnus Paſtor effecti eſſent & de die in diem plures vnus efficerentur.

§. XVI.

Circa obligationem Religioſi.

Ex his ſunt qui penetrant domos. 2. *Tim*.3.

IPſis quoque perſonis religioſis circa ſua vota conatur amor inordinatus per aliquas probabilitates perſuadere improbandas laxitates tamquam in praxi licitas, & vſu receptas, v. g. non eſſe contra humile Votum Obedientiæ Prælaturam ambire, & dum in proprio Monaſterio obtineri non poteſt, illam in alieno quærere, aut aliàs aliquã dignitatẽ, qua ponantur extra Prælatorum ſuorum iuriſdictionem, vt quam ſpontè deſeruerunt, recuperent libertatem: nec eſſe contra Votum paupertatis corradere, & congregare vndequaque non ſolùm communitati ſuæ, ſed potiſſimum ſibi, quidquid valent acquirere; vt commodiùs, & lautiùs viuant in Monaſterio, quàm fortè viuebant, aut vixiſſent in ſæculo, ſi in eo manſiſſent. Denique nullum pati detrimentum, aut periculum caſtitatem ipſorum, ſi abſque neceſſitate frequentent conſortia perſonarum alterius ſexus, &

cum

cum ipſis familiaritatem ineant merè ad colloquium, vel animi recreationem.

Tali Religioſo ſuaderem propter ſalutem animæ ſuæ, vt Moralem Tutiorem circa ſuam obligationem ſequeretur, & Laxiorem deſereret. Et, ſi cogatur conſcientias dirigere, gerat earum curam propter charitatem, non propter cupiditatem. Non ſit ſolicitus de pane, quem Deus adijciet ipſi, ſi primùm quærat eius Regnum eiuſque iuſtitiam, ſed de ſolitudine, quàm ſi ex Superioris mandato cogitur deſerere, ſubdat ſe illi propter obedientiam, & dicat cum Chriſto in vero eius ſpiritu: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat.*

Sed quid Religioſo ſuadeo? deberem magis ſuadere, & conari perſuadere Prælato ipſius, vt exemplo, & verbo, ſicut Chriſtus, ei præluceret. Nam deploranda res eſt in Prelato, qui ſimili amore regitur, quòd is, à quo omnis firmitas in Monachis eſſe deberet, ab eodem omnis infirmitas proueniat. Prælatus ambit perpetuam Prælationem. Quidni ad exemplum Prælati, omnes Monachi illam ambiant, eique inuideant, illi optãdo amotionem ab officio, etiam per mortem, vt eo amoto Prælatura gaudeant? Nummis inhiat Prælatus, & ſub prætextu intertinendi ſtatus, vel alendæ familiæ, eos omni modo poſſibili, & plauſibili cõgregat ſecumque diſpenſat quoad omnem vſum

ſum ſibi fauorabilem. Quidni ſubditus eadem probabilitate vtens: & Prælati conſenſum præſumens, eadem faciat? Recipit Prælatus ad Religionem diuites propter nummos, & reijcit pauperes propter nummorum defectum. Quidni Monachi omnes ſtudeant nummis, quibus ipſa Religio obedit? Prælatus amat conſortia, præſertim mulierum, ſub prætextu humanitatis, honeſtatis, & quod ampliùs eſt pietatis. Quidni ſub iiſdem titulis, & coloribus Monachus eadẽ amet, eaque frequentet? ſanè ſi hoc verum eſt in bonis, *Regis ad exemplum totus componitur orbis* hoc maximè verum eſt in malis, propter inclinationẽ naturæ corruptæ: nam exempla incõparabiliter plus mouent quàm dicta, & ſi exẽplis malis verba accedant, ferè irreparabiliter.

Suaderem ergo tali Prælato, & propter ſalutem ſuam, & ſuorum, vt quidem ſuſtineret Prælaturæ onus ſibi impoſitum propter neceſſitatem charitatis, ſed deſideraret ab illo liberari propter amorem contemplationis: ſuaderem illi, vt pauperem vitam, quã profeſſus eſt, & ſpiritu, & corpore duceret, id eſt, omninò frugalem, vt corda Monachorum ab iniquo Mammona ipſos inquietante abſtraheret, & ad fiduciam in prouidentia Dei, numquam defutura iis, qui dignè ambulant vocatione, qua vocati ſunt, adduceret. Suaderem vt vocatos à Deo ad Religionem, ſiue diuites, ſiue pauperes in eodem paupertatis ſpiritu victuros, ſine per-

ſo na-

ſonarum acceptione, admitteret, nec ad Clericatum vllum promoueret, niſi inſigniter vtilem Eccleſiæ Dei, id eſt, ab excellenti pietate, & doctrina ſana commendabilem. Tunc enim videret Prælatus meliorem eſſe virum bonum, & per cõſequens nomen bonum, quàm diuitias multas. Denique ſuaderem illi, vt fugeret ſæculum, nec ad illud rediret, niſi fraternæ charitatis neceſſitate compulſus ad extirpandum ſcilicet amorem ſæculi, quo ſolo intuitu Monachos ſuos ad ſæculum ire permitteret: tunc enim ipſe cum ſuis obſeruaret illud, quod Monaſterij ſui clauſura profitetur. Miſer qui inſipienter redit ad illud, quod ſapienter deſeruit.

Verùm inordinatus amor pallia ſuæ ſtultitię facilè inuenit, dicendo, quòd quidem meum conſilium ſit bonum, ſed non eſſe hoc ſæculo practicabile, quia alius eſt nunc Eccleſiæ ſtatus, quàm fuit olim: nec eſt alicuius particularis hominis velle aliter viuere, quàm viuitur. Quinimò ſuperbiæ, & præſumptionis eſt, velle ſuper omnes ſapere, velle omnes corrigere, & reformare; nec equidem hoc eſſe poſſibile, ac proindè dicendum, quòd hoc ſæculo corrupto Deus fragilitati hominum magis indulgeat, quàm olim; & quotidianum vſum Sacramentorum, & frequentiam Indulgentiarum, eſſe in remedium iſtius fragilitatis; necnon ad manum haberi Confeſſarios, qui ſtatim abſoluant; & vix dari hominem, qui non doleat de peccatis ſuis

ſal-

ſaltem ex metu gehennæ ; & ita de facili poſſit conſequi remiſſionem peccatorum ſuorum in Sacramento Pœnitentiæ: vbi ſi duriùs tractaretur per violentam abſtractionem ab appetitu honorum, diuitiarum, & voluptatum, vix vllus ſaluaretur. Vndè mitiores viæ, quæ iam teruntur, ſunt inſiſtendæ.

Sed his omnibus Moralis laxioris ratiocinijs hæc paucula Moralis Tutioris principia oppono: *Donec tranſeat cælum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non mutabitur à Lege Dei, donec omnia fiant. Quàm arcta via eſt, quæ ducit ad vitam! non veni mittere pacem ſed gladium: Veni ignem mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur. Argue, obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina: erit enim tempus cùm ſanum doctrinam non ſuſtinebunt. Miniſterium tuum imple, ſobrius eſto, &c.*

§. XVII.

Circa obligationem Regis.

Ego regnabo. 3. *Reg.*1.

QVanto in periculo verſentur Reges in faſtigio generis humani conſtituti, quia ipſis à Domino dictum eſt, *ego dixi dij eſtis*, poſſunt diſcere exemplo maximorum, qui umquam fuere Regum, patris & filij ſcilicet Dauidis, & Salomonis quorum primus duplex ob crimen coa-

coaleſcens in vnum nefanda, & infanda mala ſic ordinãte in vindictã tam enormis delicti diuina Iuſtitia à proprio filio paſſus eſt, & quia numerauit populum ad oſtentationẽ potentiæ ſuæ trium horribilium flagellorum accepit Optionem. Alter quia amori inordinato mulierũ alienigenarum nimis ardenter adhæſit ex Sapientiſſimo Regum, ſtultiſſimus virorum factus eſt.

Omitto exempla Regum Iſrael, qui fecerunt malum coram Domino,& omnes miſere perierunt,ſcatet huiuſmodi exemplis antiqua pagina,nec deſunt plurima in profana hiſtoria. Vnde nẽ ſimilia patiantur Chriſtiani Reges, amori inordinato nuntium remittant, & per amorem ordinatum humilientur ſub potenti manu Dei,attendãtque diligenter ad illud, *Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de principibus cadetis*, quod ex conſequenti ſibi dictum putent à Domino, nec omnia ita reducant ad Materiam ſtatus Regni ſui, vt Regnum Cœlorum amittant,ſcientes ſe miniſtros Dei eſſe, non vt quod ſibi lubet,ſed id, quod Deus iubet, faciant;Non enim iuuabuntur ex directione intentionis niſi in hunc finem;

§. XVIII.

§. XVIII.

Circa obligationem Nobilis.

Celebremus nomen noſtrum. *Gen.* 11.

Amor inordinatus Nobilis, qui non eſt verè nobilis reducit omnia ad *Punctum honoris*, cui facit obedire & honorem & nummum, & vitam, aliena.

Itaque ſi honor eius diminuatur ex oppoſitione honoris alterius,de illo detrahit: ſi illum non poſſit conſeruare,niſi manutenendo, vel etiam augendo ſuum ſtatum; ad hunc manutenendũ vel augendum,non ſoluit debita, opprimit pupillum & viduam, qui ipſi aliquid debēt, vt ſtatim ſoluant; & minatur perdere litibus illos,qui aliquid ab ipſo exigunt titulo iuſto,& alios,à quibus vult ſummam aliquam pecuniæ obtinere,titulo iniuſto,vt cum illo conueniant.

Si in miniſterio ſit, furatur & à Rege, & a priuatis,perſuaſus de iuſtitia,quia hoc eius ſtatus & honor requirunt.

Si vel minimam iniuriam ab inferiori acceperit, ſe vſque ad mortem eius vindicat:ſi ab æquali,prouocat illum ad duellum,& prouocatus ſemper comparet,quia de ipſius honore agitur ſi à ſuperiori, molitur illi occultam perniciem.

Et hæc omnia illi licent, quia Nobilis eſt. Dumque;pro conſilio recurrit ad Doctos,vel ad li-

libros ipſorum, facilè inuenit pallium ſuę iniquitatis ab aliquo ambitioſo honoris, qui dicet præferendum honorem proprium alieno,eo quod amor incipiat à ſeipſo,& honorem diuitijs ac vitæ, quia iudicat præſtare non eſſe in hoc mundo, quam non eſſe honoratum honore mundano. Quod ſi dicatur illi vindictam eſſe illicitam,reſpondet ſe non quærere vindictam, ſed conſeruationem ſui honoris,ſicque Euangelio Chriſti ſatisfactum putat.

§. XIX.

Circa obligationem Iudicis.

Iudex quidam erat in quadam ciuitate,qui Deum non timebat,& hominem non reuerebatur. *Lucæ* 18.

ILli, quos amor inordinatus impellit vt quærant officium Iudicis ,rarò iudicant ex æquo, ſed ſupra æquũ facilè ſe conſtituunt,non illius arbitrio ſubiecti, ſed illius facti arbitri; quia omne ius ſubterfugere volunt. Alios impellit, vt fiant Iudices alienarum crumenarum, illas ſibi adiudicantes, non verò, vt adiudicent cuique crumenæ quod ſuum eſt: Alios mouet,vt amicis patrocinentur,gaudentes nanciſci *caſus pro amicis*, quia amicitiam venalem habentes, vendunt iuſtitiam ipſam, quam ſtabilire deberet amicitia,virtutum omnium, quæ proximum concernunt,excellentiſſima.

§. XX.

Hi ſunt qui probabili potiſſimum opinione nituntur, vt conſcientiam rectam in ipſa curuitate forment, quia legem humanam interpretationi obnoxiam pro regula, vel potius ipſam laxam, & ſibi ſuiſque fauentem interpretationẽ, regulam habent: ſicque pro libitu ſuo faciunt æquum, quod volunt.

§. XX.

Circa obligationem Magiſtratus.

Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te: *Ioannis.* 19.

Multi quærunt Magiſtri Ciuitatis fieri, pauci ſerui. Quærunt præeſſe alijs, non prodeſſe, ſed ſibi; Ideò emunt officium ſuum, vt ex illo faciant quæſtum. Ad quid enim emerent niſi vt honorentur vel diteſcant ex illo? nemo ſanè nudum laborem quærit, ſed quærit mercedem. An fortaſſis Deum? minime: quia ſi Deum quærerent, non ſe tam libenter negotijs ſæcularibus implicarent, multo minus illa emerent. Sed, vt dixi, quærunt alijs præeſſe, ſibi prodeſſe, & per conſequens quærunt alieno intereſſe honorari; ac in ſtatu ſuo, commoditateque deſiderata alienis expenſis ſuſtentari. Vnde ſi materia ſtatus agatur, ſeruiunt Regi, ſi punctum honoris, ſeruiunt Nobili; ſi caſus amici, ſeruiunt amico: ſi caſus proprius, ſeruiunt ſibi,

illam emit munere à manu, ſeu pecunia, munere à lingua, ſeù laude, munere ab obſequio, ſeù ſeruitijs etiam iniuſtis. Nec putat hic ſimoniam, quia hæc ſeruire dicit ad Dei gloriam.

Sed vbi Chriſtus dicens: *Bonus Paſtor animã ſuam ponit pro ouibus ſuis; Mercenarius autem fugit, quia Mercenarius eſt*? vbi Paulus; *nemo ſumit ſibi honorem, niſi qui vocatur à Deo ſicut Aaron*? vbi Petrus: *pecunia tua tecum ſit in perditionem, qui exiſtimaſti donum Dei pecunia æſtimari*? vbi ſancti Patres: Auguſtinus, qui de Epiſcopatu dicit, quod indecenter appetitur, licet teneatur, & adminiſtretur, vt debet: Hieronymus, qui dicit illos Eccleſiaſticos ſacrilegium committere, qui habentes vndè ſuſtententur ex bonis, & opibus parentum, quod pauperum eſt, accipiunt: Bernardus, qui ſic tibi, ò Eccleſiaſtice, dicit: quidquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum de Altario retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt? Sed hi pauci ſunt, non ampliùs ſic viuitur; ideò hi non audiendi, quia amor inordinatus plurimorum eſt; plurimi autem ſibi, ſuiſque aggratulantur, ſi accipiant Prælaturam, vel beneficium, & tantò ampliùs, quantò fuerit pinguius, quia honoratius, & commodius.

§. XV.

§. XV.

Circa obligationem Eccleſiaſticorum, & præſertim Paſtorum.

Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos.
Ezech. 34.

QVid de officio Eccleſiaſticorum cenſet amor inordinatus? dicit nullum teneri ad Horas Canonicas, qui non habet beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ad ſuſtentationem honeſtam, nec proindè teneri ad Chorum, niſi quando ſunt contributiones accipiendæ, & oſtenſa præſentia neceſſaria ad illas accipiendas, poſſe è Choro diſcedere; item poſſe celebrare Miſſam merè propter ſtipendium; nec vi ſolius Ordinis Sacri, etiam Presbyteratus, ad quidquam obligari; ſed Ordinem illum ſeruire ordinato tantùm ad maiorem vitæ honeſtatem, & commoditatem; adeòque licitè appeti, ſicut ſolet appeti ſæcularis dignitas.

Quæ perſuaſio ad ipſos vſque Paſtores penetrauit. Nam hi ſpiritualium curam committentes Vicarijs, de quorum capacitate non curant, modò bono pretio ipſis inſeruiant, maximè ſolliciti ſunt de obſeruando iuramento, quod fecerunt de defendendis iuribus ſui Paſtoratus, ſummumque piaculum eſſe putant, id eſt periurium profundo inferni dignum, ſi illud,

etiam poſtpoſita, & neglecta ouium cura, religioſiſſimè non ſeruent. Hinc illi mouent lites, & noctes ducunt inſomnes pro conquirendis inſtrumentis, & argumentis ad illa iura conſeruanda. Currunt totos dies ad vrgendam, & commendandam iuſtitiam cauſæ ſuæ: ad ſcandala autem plebis permiſſiuè ſe habènt. Iura ſepulturæ extorquent à pauperibus, & fideiuſſionem exigunt pro iuribus antequam ſepeliant. Ad Sacramenta adminiſtranda, vbi pingue honorarium non expectatur, tardi, & inuoluntarij ſunt. Sub titulo hoſpitalitatis conuiuia opipara inſtituunt, mobiliaque pretioſa ſub titulo honeſtatis ſibi comparant. Et ſi in his conſcientia remordeat, ad remedia contra ſcrupulos recurrunt: nec ipſi populos ſibi commiſſos inſtruunt, alijſque inſtruentibus indignantur; quia ex concurſu plebis ad alios quęſtum ſuum diminui vident, aut putant. Vndè ſi magis eſſet quæſtio de animarum, quam de nummorum lucro; Paſtores iſti magis ſtuderent paſcendis ouibus, quam lucrandis litibus, & harum potius, quam iſtarum curam committerent Vicarijs, nec indignarentur alijs in populorum ſibi commiſſorum inſtructionem, & ſalutem ex Charitate incumbentibus; ſed conſiderantes meſſem eſſe multã, & operarios paucos, Domino meſſis gratias agerent, quod ſibi tales cooperatores adiungeret, & plures tales ab eodem adiungi inſtanter rogarent; ſicque ex

oui-

ouibus iam adductis, & alijs adducendis ouile Domini impleretur, quia multi paſtores, & paſtorum coadiutores in vnius Supremi Paſtoris Doctrina, & Charitate vnus Paſtor effecti eſſent & de die in diem plures vnus efficerentur.

§. XVI.

Circa obligationem Religioſi.

Ex his ſunt qui penetrant domos. 2. *Tim.* 3.

IPſis quoque perſonis religioſis circa ſua vota conatur amor inordinatus per aliquas probabilitates perſuadere improbandas laxitates tamquam in praxi licitas, & vſu receptas, v. g. non eſſe contra humile Votum Obedientię Prę-laturam ambire, & dum in proprio Monaſterio obtineri non poteſt, illam in alieno quærere, aut aliàs aliquã dignitatẽ, qua ponantur extra Prælatorum ſuorum iuriſdictionem, vt quam ſponte deſeruerunt, recuperent libertatem: nec eſſe contra Votum paupertatis corradere, & congregare vndequaque non ſolùm communitati ſuæ, ſed potiſſimum ſibi, quidquid valent acquirere; vt commodiùs, & lautiùs viuant in Monaſterio, quàm fortè viuebant, aut vixiſſent in ſæculo, ſi in eo manſiſſent. Denique nullum pati detrimentum, aut periculum caſtitatem ipſorum, ſi abſque neceſſitate frequentent conſortia perſonarum alterius ſexus, &

cum ipſis familiaritatem ineant merè ad colloquium, vel animi recreationem.

Tali Religioſo ſuaderem propter ſalutem animæ ſuæ, vt Moralem Tutiorem circa ſuam obligationem ſequeretur, & Laxiorem deſereret. Et, ſi cogatur conſcientias dirigere, gerat earum curam propter charitatem, non propter cupiditatem. Non ſit ſolicitus de pane, quem Deus adijciet ipſi, ſi primùm quærat eius Regnum eiuſque iuſtitiam, ſed de ſolitudine, quàm ſi ex Superioris mandato cogitur deſerere, ſubdat ſe illi propter obedientiam, & dicat cum Chriſto in vero eius ſpiritu: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat*.

Sed quid Religioſo ſuadeo? deberem magis ſuadere, & conari perſuadere Prælato ipſius, vt exemplo, & verbo, ſicut Chriſtus, ei præluceret. Nam deploranda res eſt in Prelato, qui ſimili amore regitur, quòd is, à quo omnis firmitas in Monachis eſſe deberet, ab eodem omnis infirmitas proueniat. Prælatus ambit perpetuam Prælationem. Quidni ad exemplum Prælati, omnes Monachi illam ambiant, eique inuideant, illi optādo amotionem ab officio, etiam per mortem, vt eo amoto Prælatura gaudeant? Nummis inhiat Prælatus, & ſub prætextu intertinendi ſtatus, vel alendæ familiæ, eos omni modo poſſibili, & plauſibili cōgregat ſecumque diſpenſat quoad omnem vſum

ſum ſibi fauorabilem. Quidni ſubditus eadem probabilitate vtens: & Prælati conſenſum præſumens, eadem faciat? Recipit Prælatus ad Religionem diuites propter nummos, & reijcit pauperes propter nummorum defectum. Quidni Monachi omnes ſtudeant nummis, quibus ipſa Religio obedit? Prælatus amat conſortia, præſertim mulierum, ſub prætextu humanitatis, honeſtatis, & quod ampliùs eſt pietatis. Quidni ſub iiſdem titulis, & coloribus Monachus eadē amet, eaque frequentet? ſanè ſi hoc verum eſt in bonis, *Regis ad exemplum totus componitur orbis* hoc maximè verum eſt in malis, propter inclinationē naturæ corruptæ; nam exempla incōparabiliter plus mouent quàm dicta, & ſi exēplis malis verba accedant, ferè irreparabiliter.

Suaderem ergo tali Prælato, & propter ſalutem ſuam, & ſuorum, vt quidem ſuſtineret Prælaturæ onus ſibi impoſitum propter neceſſitatem charitatis, ſed deſideraret ab illo liberari propter amorem contemplationis: ſuaderem illi, vt pauperem vitam, quā profeſſus eſt, & ſpiritu, & corpore duceret, id eſt, omninò frugalem, vt corda Monachorum ab iniquo Mammona ipſos inquietante abſtraheret, & ad fiduciam in prouidentia Dei, numquam defutura iis, qui dignè ambulant vocatione, qua vocati ſunt, adduceret. Suaderem vt vocatos à Deo ad Religionem, ſiue diuites, ſiue pauperes in eodem paupertatis ſpiritu victuros, ſine per-

ſonarum acceptione, admitteret, nec ad Clericatum vllum promoueret, niſi inſigniter vtilem Eccleſiæ Dei, id eſt, ab excellenti pietate, & doctrina ſana commendabilem. Tunc enim videret Prelatus meliorem eſſe virum bonum, & per cõſequens nomen bonum, quàm diuitias multas. Denique ſuaderem illi, vt fugeret ſæculum, nec ad illud rediret, niſi fraternæ charitatis neceſſitate compulſus ad extirpandum ſcilicet amorem ſæculi, quo ſolo intuitu Monachos ſuos ad ſæculum ire permitteret: tunc enim ipſe cum ſuis obſeruaret illud, quod Monaſterij ſui clauſura profitetur. Miſer qui inſipienter redit ad illud, quod ſapienter deſeruit.

Verùm inordinatus amor pallia ſuæ ſtultitię facilè inuenit, dicendo, quòd quidem meum conſilium ſit bonum, ſed non eſſe hoc ſæculo practicabile, quia alius eſt nunc Eccleſiæ ſtatus, quàm fuit olim: nec eſt alicuius particularis hominis velle aliter viuere, quàm viuitur. Quinimò ſuperbiæ, & præſumptionis eſt, velle ſuper omnes ſapere, velle omnes corrigere, & reformare; nec equidem hoc eſſe poſſibile, ac proindè dicendum, quòd hoc ſæculo corrupto Deus fragilitati hominum magis indulgeat, quàm olim; & quotidianum vſum Sacramentorum, & frequentiam Indulgentiarum, eſſe in remedium iſtius fragilitatis; necnon ad manum haberi Confeſſarios, qui ſtatim abſoluant; & vix dari hominem, qui non doleat de peccatis ſuis ſal-

ſaltem ex metu gehennæ ; & ita de facili poſſit conſequi remiſſionem peccatorum ſuorum in Sacramento Pœnitentiæ: vbi ſi duriùs tractaretur per violentam abſtractionem ab appetitu honorum, diuitiarum, & voluptatum, vix vllus ſaluaretur. Vndè mitiores viæ, quæ iam teruntur, ſunt inſiſtendæ.

Sed his omnibus Moralis laxioris ratiocinijs hæc paucula Moralis Tutioris principia oppono: *Donec tranſeat cælum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non mutabitur à Lege Dei, donec omnia fiant. Quàm arcta via eſt, quæ ducit ad vitam! non veni mittere pacem ſed gladium: Veni ignem mittere in terram, & quid volo, niſi vt accendatur. Argue, obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina: erit enim tempus cùm ſanum doctrinam non ſuſtinebunt. Miniſterium tuum imple, ſobrius eſto, &c.*

§. XVII.

Circa obligationem Regis.

Ego regnabo. 3. *Reg.* 1.

QVanto in periculo verſentur Reges in faſtigio generis humani conſtituti, quia ipſis à Domino dictum eſt, *ego dixi dij eſtis*, poſſunt diſcere exemplo maximorum, qui umquam fuere Regum, patris & filij ſcilicet Dauidis, & Salomonis quorum primus duplex ob crimen coa-

coaleſcens in vnum nefanda, & infanda mala ſic ordinâte in vindictã tam enormis delicti diuina Iuſtitia à proprio filio paſſus eſt , & quia numerauit populum ad oſtentationē potentiæ ſuæ trium horribilium flagellorum accepit Optionem. Alter quia amori inordinato mulierū alienigenarum nimis ardenter adhæſit ex Sapientiſſimo Regum , ſtultiſſimus virorum factus eſt.

Omitto exempla Regum Iſrael, qui fecerunt malum coram Domino,& omnes miſere perierunt,ſcatet huiuſmodi exemplis antiqua pagina,nec deſunt plurima in profana hiſtoria. Vnde nē ſimilia patiantur Chriſtiani Reges, amori inordinato nuntium remittant, & per amorem ordinatum humilientur ſub potenti manu Dei,attendãtque diligenter ad illud, *Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de principibus cadetis*, quod ex conſequenti ſibi dictum putent à Domino, nec omnia ita reducant ad Materiam ſtatus Regni ſui, vt Regnum Cœlorum amittant,ſcientes ſe miniſtros Dei eſſe, non vt quod ſibi lubet,ſed id, quod Deus iubet, faciant;Non enim iuuabuntur ex directione intentionis niſi in hunc finem;

§. XVIII.

Digitized by Google

§. XVIII.

Circa obligationem Nobilis.

Celebremus nomen noſtrum. *Gen.* 11.

AMor inordinatus Nobilis, qui non eſt verè nobilis reducit omnia ad *Punctum honoris*, cui facit obedire & honorem & nummum, & vitam, aliena.

Itaque ſi honor eius diminuatur ex oppoſitione honoris alterius,de illo detrahit: ſi illum non poſſit conſeruare,niſi manutenendo, vel etiam augendo ſuum ſtatum; ad hunc manutenendũ vel augendum,non ſoluit debita, opprimit pupillum & viduam, qui ipſi aliquid debẽt, vt ſtatim ſoluant; & minatur perdere litibus illos,qui aliquid ab ipſo exigunt titulo iuſto,& alios,à quibus vult ſummam aliquam pecuniæ obtinere,titulo iniuſto,vt cum illo conueniant.

Si in miniſterio ſit, furatur & à Rege, & a priuatis,perſuaſus de iuſtitia,quia hoc eius ſtatus & honor requirunt.

Si vel minimam iniuriam ab inferiori acceperit, ſe vſque ad mortem eius vindicat:ſi ab æquali,prouocat illum ad duellum,& prouocatus ſemper comparet,quia de ipſius honore agitur ſi à ſuperiori, molitur illi occultam perniciem.

Et hæc omnia illi licent, quia Nobilis eſt. Dumque pro conſilio recurrit ad Doctos,vel ad li-

Hi ſunt qui probabili potiſſimum opinione nituntur, vt conſcientiam rectam in ipſa curuitate forment, quia legem humanam interpretationi obnoxiam pro regula, vel potius ipſam laxam,& ſibi ſuiſque fauentem interpretationē, regulam habent: ſicque pro libitu ſuo faciunt æquum, quod volunt.

§. XX.

Circa obligationem Magiſtratus.

Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te,& poteſtatem habeo dimittere te: *Ioannis.* 19.

MVlti quærunt Magiſtri Ciuitatis fieri, pauci ſerui. Quærunt præeſſe alijs, non prodeſſe, ſed ſibi; Ideò emunt officium ſuum, vt ex illo faciant quæſtum. Ad quid enim emerent niſi vt honorentur vel diteſcant ex illo? nemo ſanè nudum laborem quærit, ſed quærit mercedem. An fortaſſis Deum? minime: quia ſi Deum quærerent, non ſe tam libenter negotijs ſæcularibus implicarent, multo minus illa emerent. Sed, vt dixi, quærunt alijs præeſſe, ſibi prodeſſe,& per conſequens quærunt alieno intereſſe honorari; ac in ſtatu ſuo, commoditateque deſiderata alienis expenſis ſuſtentari. Vnde ſi materia ſtatus agatur, ſeruiunt Regi, ſi punctum honoris, ſeruiunt Nobili: ſi caſus amici, ſeruiunt amico: ſi caſus proprius, ſeruiunt ſibi,

Digitized by Google

& ſemper ſibi quia finis amoris inordinati, *Ille ego.*

Non ergo idoneitatem ſuam ad Magiſtratũ ſed capacitatem ad deuorandum Republicã conſiderat ille, qui vult Magiſter Vrbis fieri, ſicut nec iuſtitiam quærit, qui vult Iudex fieri, ſed iudicium fauorabile ſibi.

§. XXI.

Circa obligationem Mercatoris.

Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem. 1. *ad Tim.* 6.

RArus eſt mercator, qui nõ quærit mercem propter lucrum, & putat lucrum iuſtum quidquid ex merce lucrari poteſt: nam mercatur, vt diteſcat, non vt publico pro ſua obligatione, veluti pars eius, ſuccurrat. Cum ergo lucrum ſit vnicum eius obiectum, vult ſemper lucrari, non perdere vmquam: ideò vendit ſemper tanti, quanti poteſt, quia aliquando perdere poteſt. Pro ſumma regula habet, ſe ſemper aſſecurare, quantùm poteſt.

Quapropter gaudet titulo damni emergentis, dum ipſi aliquid debetur, & lucri ceſſantis, dum alicui mutuatur, & periculi imminentis, vulgò, *riſque*, dum merces aliunde aduehen-

das,

das, vel alio vehendas procurat: nam periculum elapſum, eſt ipſi abſque periculo, & ſemper cum lucro, quia illud pro reali damno computat, augendo pretium mercium, vel falſificãdo merces, quaſi ex nudo periculo damnum incurriſſet; vel ſi ſua culpa incurrit, non ſibi imputat, ſed alijs computat: habetque pro pallio ſuæ iniquitatis, quod ſi hac vice periculum euaſerit, alia poſſit incurrere & perdi; & ſi damnum incurrerit ſua culpa, equidem alios teneri ad illud portandum, quia ipſorum in mercando ſeruus eſt. Nec in omnibus his deeſt ipſi auctoritas probabilis vulgò dicta.

§. XXII.

Circa obligationem Coniugati.

Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. Matth. 19.

Amor inordinatus capit coniugem, non ad ſanctam amicitiam, ſanctamque prolis educationem, ſed vel ad gloriam propter nobilitatem proſapiæ, vel ad auaritiam propter diuitias, vel ad voluptatem propter carnalem pulchritudinem ſaltem imaginatam. In primo caſu nubit honori, in ſecundo mammonæ, in tertio veneri. Si deſint iſta coniugi, propter quæ ſola illam accepit, eſt quidem coniugatus in-

effectu, ſed non in affectu; in quo habet coniugem pro onere,quod excutit à ſe,quantũ poteſt. Hinc perpetua iurgia; hinc cum alienis adulterina commercia: Si verò illa inueniat, quæ quæſiuit, nempè honorem in parentela coniugis,in honore, non in coniuge, gloriatur: ſi diuitias,illis ſtudet conſeruandis,& augendis,non quomodo placeat coniugi: ſi pulchritudinem, vtitur illa velut ſcorto ad explendam ſuam concupiſcentiam. Et,ſi vllibi verum eſt, *quod lubet, licet*, hoc maximè in explenda carnis voluptate verificatur.

Nec deſunt magiſtri palpones, qui omnes coniugum ſpurcitias propter coniugium à peccato excuſent, facientes Matrimonij Sacramẽtum cloacam omnium ſordium. Horribile dictu! cùm è contra deberet eſſe cauſa honeſtatis in ſocietate Coniugum,& in actu coniugali ipſorum; quandoquidem eò fœdior ſit luxuria, quo ſanctior eſt ſtatus ad illam refrænandam à Deo inſtitutus,& per Sacramentum ſãctificatus.

§. XXIII.

Circa obligationem Viduæ & Cælibis.

Cum luxuriatæ fuerint in Chriſto,nubere volunt. 1. *Tim.* 5.

AMor in[illegible]natus perſuadet viduæ, quòd p[illegible]aliter ſe delectare ex matri-

monio præterito, quia tunc ipſi licebat; ergò & nunc. Nec videt delectationem fuiſſe tunc ad actum coniugij, qui tunc eſſe poterat, nunc non poteſt: vnde ceſſante fine ceſſant media. Similis amor perſuadet cœlibi, quòd poſſit ſe delectare intuitu futuri concubitus, qui dum matrimonium erit, tunc ipſi licebit; ergò nunc pro tunc licet. Quaſi verò poſſit ſpontè excitari delectatio præſens circa actum, qui nunc exerceri non poteſt; & quaſi delectatio præſens non tendat ad actum hic, & nunc exercendum, poſſitq; ſuſpendi in futurum, quando actus licebit.

Hæc ſunt dogmata amoris inordinati, qui ſub ſpecie honeſti maculat cor hominis, ipſi pro luce tenebras exhibendo. Ex eodem prodijt hæc doctrina, quod verba inhoneſta, oſcula, tactus impudici (ſepoſito periculo conſenſus in delectationem veneream, ac ſordes inde conſequentes) merè ad titillationem ſenſuum non ſint peccata mortalia; quaſi titillatio ſenſuum proueniens à talibus cauſis non excitet in animo delectationem veneream, quæ dum ſpontè admittitur, ſola imaginatione differt à conſenſu, quia ipſius ſpontanea receptio conſenſus eſt, ſiue ſordes ſequantur, ſiue nòn: ſunt enim natæ ſequi ex ipſa, & eius cauſis.

§. XXIV.

Circa obligationem Filij familias, & Serui.

Deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus. *Lucæ 15.*
Ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes.
Eph. 6.

AMor inordinatus filij familias conſiderat parentes ſuos veluti debitores, qui debent alere, & ad perfectum deducere, quod genuerunt. Conſiderat etiam omnia ipſorum bona tamquam ſua: nec putat ſe quidquam illis debere, ſed ſibi omnia ab illis deberi: cumque illi dicitur, quòd eos honorare debeat, obedientiam, obſequium, & reuerentiam ipſis exhibendo, putat hunc honorem non eſſe niſi prætextum adimendæ ſibi libertatis, quam ſentit naturæ ſuæ propriam: ideò iugum obedientiæ, & obſequij ſubit, quando aliter non poteſt, & excutit quantùm poteſt: reuerentiam autem parentibus exhibet, quando omnia illi annuunt, & timet ne ſibi aliquid negent, quod alio modo obtinere nequit; vel quando glorioſus eſt, & habet parentes valdè honorabiles, exiſtimatque ſpectare ad ſuam gloriam, ſi cum alijs illos honoret: alioquin ſi plebei ſunt, illos contemnit, & vix pro parentibus agnoſcit, ac ſæpè erubeſcit. Numquam ex corde illis gra-

tias agit, quia (vt dixi) eos ad ſibi omnia præſtanda teneri arbitratur. Bona ipſorum occultè ſurripit, dum illis ad ſuam prodigalitatem indiget, & Caſuiſtas patronos habet, qui dicunt, quòd vix vnquam per tale furtum peccet mortaliter, quia boni parentes propter furta filiorum nollent eos damnari: quaſi vlli boni Chriſtiani vellent damnari fures ſuorum bonorum temporalium quorumcumque, & quaſi grauitas peccati pendeat ex voluntate hominũ, & non ex repugnantia ad Legem æternam. Ex his reſultat tanta ingratitudo filiorum erga parentes ſuos, vt poſt vitam, & educationem ab ijs acceptam illos adhuc bonis ſuis ſpolient, & cùm pauperes effecerint, non iuuent in neceſſitate ipſorum, quamquam poſſint.

Amor autem inordinatus ſerui non quærit à Domino niſi ſtipendium, quod ſi poſſet acquirere ſine labore, non ſeruiret. Ideò ſeruit ad oculum, detrectans laborem, quando poteſt. Timet Dominum ſeruiliter, quia pœnam timet, non offenſam: dumque ſibi imaginatur ſtipendium ſuum eſſe nimis exiguum, illud ex bonis Domini pro ſua æſtimatione auget, facitque ſuum arbitrium regulam iuſti ſtipendij: nec deſunt auctores, docti & graues vulgò dicti, qui hanc regulam approbent. Eſculenta, & poculenta ad recreationem cum ſocijs habẽdam ſuffurari artis putat, tacitumque Domini præſumit conſenſum, quia cogitat idem fa-

ſturum ipſum Dominum, ſi ſeruus foret, & induſtriam laudaturum, ſi ſciret: ſicut Dominus Euangelicus laudauit villicum iniquitatis, quia prudenter egiſſet: nam ſtupidus in mundo habetur, qui ſimilia non practicat. Legem Pœnitentiæ Euangelicæ ignorat, propter quam debet ſeruire Domino ſuo, ſicut Chriſto, & ſicuti Chriſtus Patri obediuit, non quærendo ſtipendium ſuorum laborum per modum mercedis, quia temporale eſt, & tranſitorium, ſed per modum puræ ſuſtentationis; vt pœnitentiam agendo in hac vita, mercedem æternam accipiat in altera: quam ſi ſolam intenderet, fidelis eſſet Domino ſuo, ſicut Chriſto, nec ad oculum ei ſeruiret, ſed ex corde; nec propter lucrum, ſed propter debitum ſuæ vocationis in Chriſtianiſmo; nec cum aſtutia, ſed cum ſimplicitate Chriſtiana, quæ à prudentibus huius ſæculi deridetur: ſed Deus, & Iuſti illos deridebunt in interitu ſuo.

FINIS.

AVCTARIVM PRIMVM.

Circa reſipiſcentiam peccatoris.

Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum. *Matth.* 27.

PEccatorem laqueis ſuis irretitum ægrè permittit Diabolus liberari. Hinc nullibi aſtutior, quàm vt liberationem eius impediat. Idcircò omnem timorem Dei, qui initium eſt reſipiſcentiæ, ab eo conatur tollere, perſuadendo illi Atheiſmum, & principia eò ducentia; vel ſi hoc non poteſt, perſuadendo illi facilitatem pœnitentiæ per vnum, *Peccaui*, in fine vitæ; imò ſecuritatem omnimodam per deuotiunculam erga Sanctam Barbaram, velut Confeſſionis matrem, quæ proindè non ſinet ipſum mori ſine confeſſione, qua mediante infallibiliter ſaluetur. Si videat peccatorem his non fidere, ſed incitari ad Confeſſionem ſtatim poſt peccatum commiſſum, vt quietus ſit alternando peccata, & Confeſſiones, conatur efficere: vt peccata continuet, & ſuggerit illi, quòd ſufficiat, ſi quandoque per parentheſim confiteatur, & cum Deo pro vno, aut altero die treugam faciat, iterùm ad peccata reuerſurus. Hinc ad Confeſſionem vadit tamquam ad macellum, antiqua debita ſoluturus ex integro per indulgentias, vt iterum tunc in-

incipiat nouam dicam. Interim peccata non relinquit, neque occaſionem proximam. Perſuadet eidem Diabolus, quòd ſi quis in aliqua occaſione ex octo vicibus ſepties cadat, & ſemel abſtineat, non ſit occaſio proxima, quia octaua pars eſt pars grauis, ſeu notabilis, quæ proindè facit probabile, quòd in illa occaſione non ſit caſurus. Adeoque nullatenùs talis occaſio vitanda eſt, quia tantùm remota. Si verò ex nouem vicibus octies cadat, tunc quidem eſt occaſio proxima, eò quòd nona pars non ſit ſufficiens ad ſententiam probabilem: ſed equidem non eſt vitanda, quando ſine incommodo vitari non poteſt, v. g. quando Concubinarius duceret vitam triſtem ſi Concubinam à ſe dimitteret, vel bono aliquo iuſculo careret; eò quòd tunc non ſit voluntaria. Et licet millies, & millies reincidat, ſemper abſolui debet, & communicare poteſt, atque inter maximè deuotos reputatur. Quòd ſi incidat in Confeſſarium, qui faciat difficultatem in ſimili caſu ad abſoluendum, inſurgit in illum tamquã indignum munere ſuo, & iudicat illum peccare mortaliter, quia non abſoluit iuxta prædictas ſententias probabiles. Vt autem ſe à tali Confeſſario liberet, eiuſque difficultatibus, quærit vnum ſuæ ſententiæ: vel ſi ille non ſit in promptu, currit continuò ad diuerſos. Si autem aliquis eorum quærat ab ipſo, vtrum ſit conſuetudinarius in ſuo peccato, vel vtrum ſit in occaſio-

caſio-

caſione proxima peccandi, negat vtrumque cum reſtrictione mentali: quia putat ſe non teneri dicere; imò Confeſſarium irridet, illumq; traducit tamquam ignorantem, & excedentem limites ſui officij. Et in his omnibus benè, quia probabilitèr, & per cõſequens ſecurè procedit, nec vmquam timet de ſuo dolore, aut de ſua diſpoſitione, quia habet illa quando vult. Neque hìc deceptio locum habet, quia non requiritur verus dolor, ſed ſufficit exiſtimatus: & ideò non permittit etiam Confeſſarium inquirere de ſufficientia doloris, aut propoſiti; imò neque de ſcientia principiorum fidei, quia non venit, vt catechizetur, ſed vt abſoluatur. dicitque Paſtorum officium eſſe inſtruere, non Confeſſariorum, qui ſufficientem inſtructionem debent ſupponere, vti & reliqua ſufficientia ad Confeſſionem, hoc ipſo, quo quis accedit ad illam: atque ita expedire negotium, vt Confeſſarius centum homines, licet ignotos, vna hora abſoluat.

His, & ſimilibus tricis coniungit Diabolus maximam deuotionem cum nequiſſimis moribus, lucemque facit conuenire cum tenebris, & contradicentem arguit, tamquam deuotionis oſorem, ac frequentiæ Sacramentorum improbatorem. Dum his modis per multos annos deuotum nebulonem in peccatis retinuit, ſi tandem hic videre incipiat deuotionem ſuam falſam eſſe, falſaſque pœnitentias, ne reſipiſcat,

cum

eum in deſperationem præcipitare conatur, per experientiam ſuæ infirmitatis, conſuetudinis inueteratæ, &c. videt enim vires ſuas impares eſſe, nec nouit in alio, quàm in ſeipſo, confidere. Hinc deſperat: vel ſi quid de gratia Dei ipſi dicatur, vt ſpes in illo excitetur, quia ſibi perſuaſit illam ſemper proximè ſufficientiſſimam ſibi adfuiſſe, & eo non obſtante conatus ſuos irritos fuiſſe, difficultatibus obruitur, quia per proprium experimentum non minùs nouit debilitatem iſtius gratiæ, quàm naturæ ſuę: vndè confidere non poteſt, quòd peccatorum ſuorum laqueos perrumpere poterit, vt euadat. De oratione autem, & cæteris medijs ad impetrandam gratiam ampliorem nihil intelligit: quia hæc proponere non audent adſtantes, ne ob difficultatem mediorum pręcipitetur in barathrum deſperationis, & labyrinthum incertitudinis: & ſic dum deſperationi eius cauetur, in deſperationem incidit, pręſertim cùm ei ſemper perſuaſum fuerit, quòd licet continua peccandi conſuetudine maximè ſit fragilis, poſſit equidem in delicijs, & commodè viuere: & quòd poſſit eſſe ſecurus, modò habeat dolorē exiſtimatum de præteritis peccatis, & ſterile propoſitum de futuris: quodque ſine oratione, vbi libuerit, ſinceram pœnitentiam elicere valeat.

Ex quibus perſuaſionibus ad omne certamen contra tentationes ineptus factus eſt, & ignauia quæ

(quæ iuxta Chryſoſtomum mater deſperationis eſt) omninò depreſſus; ita vt iam ne conetur quidem laqueis Diaboli ſeſe extricare.

Itaque, notent, qui huiuſmodi ſunt, illud Anſelmi apud Corn. à Lapide in Epiſt. 2. ad Timoth. cap. 2. v.vlt. Inſtar pueri iocatur Diabolus cum peccatoribus, quos irretitos ſuis laqueis pro ſua voluntate in diuerſa vitiorum impedimenta pertrahit. Sunt enim multi auari, ebrioſi, luxurioſi, qui proponunt auaritiam, gulam, libidinem, deſerere, & putant inſtar auis ſe liberè auolaturos: ſed quia prauo vſu irretiti ab hoſte tenentur, nolentes in eadem vitia deijciuntur, fitque hoc ſæpius, nec omnimodè liberantur, niſi magno conatu, & gratia Dei funis rumpatur prauæ conſuetudinis.

AVCTARIVM SECVNDVM.

Declaratiuum mentis Authoris in hoc Opere.

Intrate per anguſtam portam : quia lata porta,& ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem,& multi ſunt,qui intrant per eam. Quam anguſta porta, & arcta via eſt,quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt qui inueniunt eam. *Matth* 7.

SVppono primò cum SS.Auguſtino,& Thoma omnium humanorum affectuum , omniumque operationum princ ipium eſſe amorem . Quæ eſt etiam doctrina Ariſtot. 2. *Rhet.* Ex eo enim quod amamus vnum , illud & abſens proſequimur deſiderio , & præſente gaudemus, & delectamur . Et oppoſitum eius proſequimur odio , & fugimus abſens, & timemus imminens , & triſtamur præſente ; & agimus , vel agere omittimus , vt amatum conſequamur , aut non amittamus , vel impedienti obſiſtamus , &c.

Suppono ſecundò, duos eſſe amores , qui de cordis humani regno , adeòque de imperandi iure inter ſe contendunt;nempè Amorem Dei, & Amorem Mundi. *Duo ſunt amores,* inquit D. Leo ſer.5 de ieiun 7.menſ. *ex quibus omnes prodeunt voluntates, ita diuerſæ qualitatibus,ſicut diuiduntur auctoribus. Rationabilis enim animus,qui ſine dilectione eſſe non poteſt , aut Dei amator eſt ,*

aut

aut Mundi. Et ille quidem deſurſum eſt, ſiuè naturæ rationali congenitus, ſiuè per Spiritum Sanctum infuſus: hic ex carnis genio profectus, & peccati deordinatione inſoleſcens legem audet homini imponere contrariam Legi Dei. Vndè in Sanctis oritur pugna illa; de qua querebatur Apoſtolus Rom. 9. 23. dicens, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Quatenus autem alteruter iſtorum amorum præualet, deliberationem, & operationem, vel ponit, vel imperat, ſic, vt omnis humana volitio, ſeu voluntas, omnis deliberatio, & actio, vel ab amore Dei procedat, vel ab amore Mundi. Propterea dixit S. Leo Pontifex: *ex quibus omnes prodeunt voluntates.*

Suppono tertiò duos proponi in Euangelio terminos humanæ vitæ; ſalutem, & damnationem. Matth. 25. *Ibunt hi in ignem æternum, illi autem in vitam æternam*: Et duas itidem vias; alteram ad vitam ducentem, alteram ad perditionem: Illam arctam, hanc latam. Matth. 7. *Lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem; anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam.* Has autem vias ſibi diuidentes ingrediuntur illi duo contrarij amores Dei, & Mundi, cum ſequela quiſque ſuarum voluntatum, & operum: Ita vt *omne, quod agimus, omne quod loquimur, aut de lata, aut de anguſta via* ſit, vt inquit D. Hieron. ep. 14 ad Cel. quia vel eſt conforme Legi Mundi, vel Dei.

Quæ

Quæ cum ita ſint in malo ſtatu neceſſe eſt ſit, & in magno verſetur periculo, maior Chriſtianorum pars, qui ſe putant rectè incedere, per hoc, quod non ſint inſigniter mali, & vulgò etiam boni habeantur, quia Sacramenta ſuis temporibus non negligunt, Eccleſias viſitant, aliquas preces quotidiè recitant, & alia bona opera faciunt: ſed interim Mundi, ſeu carnis legibus non ſe ſubtrahunt. De exercendo ſe in actibus diuini amoris non curant, viam arctam, quæ eſt via humilitatis, mortificationis, meditationis Nouiſſimorum, & patientiæ per Chriſti imitationem horreſcunt. Nolunt eſſe perfecti, & ſancti. Nolunt abſtinere à culpis leuibus, & voluntarijs, non vitare pericula, & occaſiones peccandi. Et cùm de peccato mortali dubitant, Recentiorum libros excutiunt, & per Confeſſarios curſitant, donec inueniant aliquem, qui per probabilitatem opus iuſtificet. Putantes ſe vtrique viæ alterno pede inſiſtere poſſe, & Deo Mundum conciliare: Vel tertiam viam inuenire, in qua vitæ, & operum ſuorum partem Deo tribuant, reliquum Mundo.

In quo periculo fouentur non parum ab ijs Scriptoribus, qui ſub prætextu ſuauitatis iugi Chriſti laxas opiniones ex profeſſo docuerunt, & illi magis, qui ab alijs ſeorſim traditas collegerunt, nec veritati, ſed probabilitati indagandæ dederunt operam, docentes quamlibet pro-

probabilitatem ſufficere, quaſi ſemper veritas ſit inacceſſibilis.

Sed falſa eſt iſta perſuaſio tepidorum Chriſtianorum, & timere debent, ne fiant ex illis, qui tardè, & ſine fructu dicturi ſunt. Sap. 5. *Ergò errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ; lumen non fuit in nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* Nam, vt dictum eſt, duæ tantùm ſunt viæ; via arcta, quæ eſt via Domini; & via lata, quæ eſt via perditionis; & tertia via non datur. Latam autem non ſoli inſigniter iniqui, & ſceleſti calcant; aliàs non dixiſſet Dominus: *Multi intrant per eam*: nam hi pauci ſunt. Ita autem viuentes ſunt maxima Chriſtianorum pars, qui certè non poſſunt dici eſſe in via arcta: nam de hac dixit Dominus: *Pauci ſunt qui inueniunt eam*, hi ſcilicet pauci, qui imitantur Dominum, feruntque crucem ſuam poſt ipſum: qui illius amore ducuntur, ſolliciti ſalutis ſuæ, quærentes eſſe ſancti, & perfecti, ſicut ille perfectus eſt. Iſti ergo ſunt in via perditionis. Non dico autem, quod omnes, qui ſunt in via perditionis, damnantur, ſicut nec omnes, qui ſunt in via arcta, ſaluantur: inſcrutabilia enim ſunt iudicia Dei: ſed qui in arcta ſunt via, & ſtant, timere debent ne cadant: & qui ſunt in lata, non debent deſperare de ſua ſalute, quia potens eſt Deus

ſuſcitare de lapidibus filios Abrahæ. Dico tantum, quod illi, qui per latam incedunt, verſantur in manifeſto periculo, quia illa per ſe ducit ad perditionem.

Debemus igitur omnes, ad quos ſermo Domini factus eſt, recipere illius monitum dicentis: *Contendite intrare per anguſtam portam*, quæ ideò difficilis multis apparet, quia mundi amore tenentur, qui interim eos difficilioribus, & durioribus grauat oneribus, vt dicent reprobi inutiliter pœnitentes, *Ambulauimus vias difficiles*. Quod ſi diuinorum meditationi ſe traderent, & diuino amori in ſe locum darent, ſi ſe in virtutibus exercerent, experirentur quàm verum ſit, quod ait Ioannes Apoſtolus ep. 1. c. 5. *Mandata eius grauia non ſunt. Dei inſtituta*, inquit D. Leo vbi ſup. *nobis onerosa non eſſent, ſi nihil aliud, quam quod amandum iubetur, amaremus.* Nam id, quod animam aggrauat, & per viam mandatorum claudicando, & gemendo ire cogit, eſt corpus, quod corrumpitur, & terrena inhabitatio, quatenus ei mundana diligimus. Id autem quod ab hoc pondere liberat, & in libertatem aſſerit filiorum Dei, eſt amor ipſius Dei, ſpiritus dilectionis præualens amori mundi, & illum conculcans. Diuinus amor cor amplians hilariter incedit per viam arctam, iuxta quod Dauid canebat pſal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Certe Chri-

ſtianæ vitæ perfectio in obſeruantia præceptorum conſiſtit, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 183. art. 3. Et illa tamen facilior redditur ſuſcepta, & ſuperaddita conſiliorum obligatione, quæ ſunt inſtrumenta perfectionis.

Illi ergo Scriptores, qui laxiores docent opiniones, ſtudio reddendi ſuauius iugum Chriſti, aberrant à ſcopo. Nam, præterquamquod leges arctare, aut ſoluere non eſt commentatoris, & interpretis, ſed Legiſlatoris ipſius (ille enim ſimpliciter, & bona fide ſenſum legis, & Legiſlatoris mentem declarare debet) tantùm abeſt, vt obligationes amputando legem reddant obſeruatu faciliorem, vt potiùs reddant magis difficilem; quia minuendo actuum virtutum frequentiam, impediunt acquiſitionem habituum, qui faciunt operari promptè, facilè, & delectabiliter. Et, vt multas diuinæ legis lacinias præciderint, ſemper ſupererunt præcepta clara, & inuiolabilia, quibus amatores Mundi, virtutum habitibus deſtituti, impares ſe inuenient.

Qui autem prætermiſſo ſtudio veritatis, in ſcrutandis tantùm probabilitatibus toti ſunt, præpoſterè agunt, & muneri ſuo deficiunt; nam ſtudium Theologicum eſt maximè ſtudium veritatis: Theologia enim eſt vera Sapientia, de veris, non opinatiua ſecundùm ſe, ſed certa. Intellectus enim datus eſt homini ad veritatem: Et Sacræ Literæ vbique nobis

 veri-

veritatem & promittunt, & exigunt. Chriſtus Legifer noſter Veritatem ſe nuncupauit, & Spiritum ſanctum ſuum *Spiritum veritatis* appellauit, & ad docendam veritatem miſſurum ſe dixit. Ipſa lex Domini veritas dicitur pſ. 118. *Lex tua veritas,& omnia mandata tua veritas.* 2. Eſdræ 4. 13. *dediſti eis legem veritatis*. In veritate ambulare monemur. 1. Reg. 12. 18. *ſeruite ei in veritate* 3. Reg. 2. *ambulate in veritate coram me*. Eph. 4. 15. *Veritatem autem facientes in caritate* ibid. *Induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſãctitate veritatis*. Et Tobię 14. 10. *ſeruite Domino in veritate, & inquirite vt faciatis quæ placita ſunt illi*. Propterea Dauid dicebat Domino pſ. 24. *dirige me in veritate tua* & pſ. 118. lætus canebat: *Viam veritatis elegi.*

Qui ergo in ſolius probabilitatis ſtudio quieſcunt, non curantes de veritate, ad Dei verba non attenderunt. Qui denique contradictionibus libros repleuerunt dicentes, *licet & non licet Poteſt, & non poteſt, peccat & non peccat* &c. videtur impleuiſſe prædictionem Eſdræ lib. 4. cap. 5. *Ecce dies veniunt, in quibus abſcondetur veritatis via*; nam per hoc peſſum itur primum principium veritatis ad redarguendum, quod eſt, *Contradictoria nec ſimul falſa eſſe poſſunt, nec ſimul vera.*

Falsò autem prætendunt veritatis inueniendæ impoſſibilitatem aut difficultatem: & contradicunt etiam ſacris literis, in quibus ſapientia

ria,quæ eſt ſcientia veritatis, dicitur *facilè videri ab his,qui diligunt eam & inueniri ab his qui quærunt illam*,Sap.6.13. & cui nondum conceſſa eſt,concedenda petenti,*ſi quis veſtrum*,inquit Apoſtolus Iacobus cap.1. *indiget Sapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat*; Poſtulanti, inquam,vt decet, nempe in humilitate, cum inſtantia, & fiducia. Nam Deus *Intellectum dat paruulis*. Pſal.118. & vult peti, quæri, pulſari, *Petite, & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis*. Denique Iacobus ſubiungit ibid. *Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans*. Potiſſimum autem ad ſcribendum ferri debemus,non ſtudio vanitatis, vt ſciamur; & multitudine librorum ſuperbiamus: ſed vt ædificemur ipſi,& ædificemus alios. Moueri debemus ex amore Dei, & proximi: nam ſic facile veritatem inueniemus. Ingenioſus eſt enim amor, & cum ſit cœcus ad cætera, perſpicax tamen & acutus eſt ad diſcernenda ea quæ dilecto placent aut diſplicent. Et inſuper amor Dei Sapientiam conciliare, & impetrare aptus eſt merito ſui,iuxta quod dicitur Eccli.1.10. *Præbuit illam diligentibus ſe & propter illum diligentibus ſapientiam ipſam, quæ præoccupat qui ſe concupiſcunt.*

In probabilis autem ſolius vſu,& notione decepti ſunt Recentiores quidam dum illud veri loco ſcrutari contenti fuerunt, & ſequendum proponere. Etenim probabilitas nihil eſt aliud

quam apparentia,& ſimilitudo veritatis; atque adeo eatenus illi inſiſti debet quatenus veritatem ita repræſentat vt illud quis bona fide ſequi poſſit,verum ſequi ſe putans & ambulare in veritate inuincibiliter. Quod non contingit,niſi quando probabilitas eſt inſignis & ingens.Nã hoc ſolum eſt verè probabile. Inſignis,inquam, reſpectu oppoſitæ,ſi in ea ſit aliqua ſimilitudo veri:nam,cum alioquin certũ ſit,hoc in vtroque contradictorio reperiri nõ poſſe,ſimilitudo minor pro falſa, & mendaci habenda eſt, & inſignis probabilitas pro morali certitudine faciente ſcientiam.

Quod ſi in vtraque parte apparentia ſit æqualis, & res ſit mere dubia,neutra eſt probabilis: Quo caſu,ſi altera pars ſit tutior, illam procul dubio ſequi oportet, vt in caſu dubio agendum fatentur omnes; ſi autem vtraque pars ſit intuta,& alterutrum eligere oporteat, præferendum eſt maius bonum,aut minus malum; & ſi etiam de hoc dubium ſit, ceſſandum eſt potius,iuxta regulam iuris,quæ in obſcuris quod minimum eſt ſequi iubet: Probabilitati autem tunc nullus eſt locus.

Vera enim probabilis notio apud antiquos Theologos,præſertim D. Thomam, & Scotum, illa eſt,quam tradidimus, pro apparentia veritatis inſigni,quæ in rebus moralibus haberi poteſt pro certitudine.Secuti ſunt enim acceptionem Philoſophorum. Nam Ariſtoteles 1 Top. 1.

Pro-

Probabile eſſe inquio, *quod videtur omnibus, vel pluribus, vel ſapientibus, & his, vel omnibus, vel pluribus, vel maximè probatis.*

Academici verò & Empirici, quidquid ſit de illorum aſſenſu, certè ſuas actiones, ſuaque negotia non caſu ſed conſilio regebant. Apparentia autem quam ſequebantur, erat procul dubio inſignis, & hoc Academici appellabant Probabile, dicente Cicerone 1. de Nat. Deor. *Multa eſſe probabilia, quæ quamquam non perciperentur, tamen quia viſum haberent quendam inſignem, & illuſtrem, his ſapientis vita regeretur:* & in Lucullo: *Si quid acciderit ſpecie probabile, ſi nihil ſe offerat, quod ſit probabili illi contrarium, vtetur eo ſapiens, & ſic omnis ratio vitæ gubernabitur.*

Quo nimirũ probabili dirigunt fideles communiter negotia ſæculi per prudentiam carnis, inſiſtentes ſcilicet vijs tutioribus. Turpe autem eſt, & valdè præpoſterum, vt prudentiores ſimus in ijs, quę tranſeunt, & pro nihilo haberi debent, quam in ſeruanda lege Dei, & in negotio æternæ ſalutis.

Vndè dum vni parti adhærentes aliam probabilem appellamus, non de probabili practico intelligi volumus, quatenus æquè ac oppoſitum ad praxim deduci poſſit; ſed de probabili ſpeculatiuo, & Theologico, quatenus illud à cenſura eximamus, quod patet eſſe valdè diuerſum. Et Recentiores illi æquiuocatione vocis decepti ſunt.

Redeuntes ergò ad Amores Dei, & mundi dubitandum non eſt; quin ab illo per viam arctam ducamur ad vitam, ab hoc per latam in perditionem: & quod moralis arctior, quæ per tuta progreditur, præferenda ſit latæ, quæ per probabilitates Legem Dei declinare ſtudioſè nititur: & quod Chriſtiani, ſalutis ſuæ ſolliciti, ab iſta cauere debeant, & illi cum Chriſto inſiſtere, dicente Ioan. Epiſt. 1. cap. 2. *Qui ſe dicit in Chriſto manere, debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.*

Huius ego Moralis ſpecimen in meo libello tradere volui, & contrariam vt periculoſam reſpuere.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN-

INDEX

Paragraphorum Moralis Tutioris, & Moralis Laxioris.

Præambula ad Scientiam Moralem:

§. I. ORdo Scientiæ ſpeculatiuæ ad Moralem. pag. 1.
§. II. *Principia Sciẽtiæ ſpeculatiuæ.* 2.
§. III. *Differentia Philoſophiæ à Theologia.* 6.
§. IV. *Principia Scientiæ moralis.* 7.
§. V. *Differentia Scientiæ moralis naturalis; & ſupernaturalis.* 8.
§. VI. De triplici ſtatu hominis, ſcilicet naturæ integræ, corruptæ, & per Chriſtum reparatæ.
De ſtatu naturæ integræ: 9.
§. VII. *De ſtatu naturæ corruptæ.* 10.
§. VIII. *De ſtatu naturæ per Chriſtum reparatæ.* 12.
§. IX. Concluſio trium moralium, Adamiticæ, Corruptæ, & Chriſtianæ, ex tribus illis ſtatibus.
Moralis Adamitica: 14.
§. X. *Moralis Corrupta.* 16.
§. XI. *Moralis Chriſtiana.* 20.

Spe-

Specimina Moralis Tutioris.

PARS PRIMA.

§. I. MOralis naturalis reſtituta per Chriſtum. 23.
§. II. Ordo Amoris ex parte obiecti. ibid.
§. III. Ordo Amoris ex parte noſtra, 24.
§. IV. Ordo Amoris ex parte indigentis. 25.
§. V. Ordo iuſtitiæ generalis, ſeu legalis. 27.
De Speciebus Iuſtitiæ legalis.
§. VI. De Religione. 28.
§. VII. De Pietate. 29.
§. VIII. De Obſeruantia. 30.
§. IX. De Gratitudine. 31.
§. X. De Amicitia, & Societate. 32.
§. XI. De Veracitate. ibid.
§. XII. De Liberalitate. 33.
§. XIII. Ordo Iuſtitiæ particularis. 34.
§. XIV. De tribus bonorum generibus, in quibus Iuſtitia ſeruanda eſt. 35.
§. XV. De iuſtitia circa vitam hominis. 36.
§. XVI. De iuſtitia circa bona fortunæ hominis. 38.
§. XVII. De iuſtitia circa bonum famæ, & honoris. 40.
§. XVIII. De iuſtitia circa reſtitutionem, ſiuè de reparando ordine amoris. 42.
§. XIX. De modo reſtitutionis circa bonum vitæ, 43.

§. XX.

§. XX. *De modo reſtitutionis circa bona fortunæ.* 45.
§. XXI. *De modo reſtituendi circa bonum famæ, aut honoris.* 46.
§. XXII. *De ordine inter reſtituentes ſeruando.* 48.
§. XXIII. *De Virtutibus remouentibus impedimenta Charitatis, & Iuſtitiæ.* 51.
§. XXIV. *De Prudentia.* 52.
§. XXV. *De Fortitudine.* 54.
§. XXVI. *De Temperantia.* 56.
§. XXVII. *De Humilitate.* 57.
§. XXVIII. *De Manſuetudine.* 58.
§. XXIX. *De Clementia.* 59.
§. XXX. *De Sobrietate.* ibid.
§. XXXI. *De Caſtitate.* 60.

De differentia, & grauitate vitiorum carnalium.

§. XXXII. *De vitijs carnalibus ſecundùm naturam.* 62.
§. XXXIII. *De vitijs contra naturam.* 65.
§. XXXIV. *De modis quibus concupiſcentia excedit in coniugatis.* 67.
§. XXXV. *De modeſtia in exterioribus corporis motibus.* 68.
§. XXXVI. *De modeſtia in exteriori apparatu.* 69.
§. XXXVII. *De obligatione generali omnium hominum ad prædicta obſeruanda.* 70.

PARS

INDEX.

PARS SECVNDA.

§ I. **M**Oralis ſupernaturalis per Chriſtum reſtituta. 72.

§. II. *De Chriſto.* 73.

§. III. *De Gratia in communi*, 75.

§. IV. *De Gratia Adami*. 76.

§. V. *De Gratia Chriſti*. 78.

§. VI. *De Sacramentis Chriſti*. 79.

§. VII. *De Virtute Baptiſmi*. 80.

§. VIII. *De Aeſtimatione, & Reuerentia Baptiſmo debita*. 82.

§. IX. *De præparatione neceſſaria ad Baptiſmum*. 83.

§. X. *De cura conſeruandæ Innocentiæ baptiſmalis*. 84.

§. XI. *De Virtute Confirmationis*. 87.

§. XII. *De æſtimatione, & reuerentia Confirmationi debita*. 89.

§. XIII. *De præparatione neceſſaria ad Confirmationem*. 90.

§. XIV. *De cura conſeruandi roboris per Confirmationem acquiſiti*. 93.

§. XV. *De virtute Euchariſtiæ*. 94.

§. XVI. *De æſtimatione, & reuerentia Euchariſtiæ debita*. 95.

§. XVII. *De præparatione neceſſaria ad ſuſcipiendam Euchariſtiam*. 96.

§. XVIII. *De præparatione neceſſaria ſecundam*

Chri-

Chriſtum. 97.
§. XIX. *De præparatione neceſſaria ſecundùm Apoſtolum.* 98.
§. XX. *De præparatione neceſſaria ſecundùm S. Dionyſium.* 99.
§. XXI. *De præparatione neceſſaria ſecundùm S. Iuſtinum.* 100.
§. XXII. *De præparatione neceſſaria ſecundùm S. Baſilium.* ibid.
§. XXIII. *De præparatione neceſſaria ſecundùm S. Ambroſium.* 101.
§. XXIV. *De præparatione neceſſaria ſecundùm S. Chryſoſtomum.* 102.
§. XXV. *De præparatione neceſſaria ſecundùm S. Hieronymum.* ibid.
§. XXVI. *De præparatione neceſſaria ſecundùm S. Auguſtinum.* 103.
§. XVII. *De præparatione neceſſaria ſecundùm S. Gregorium.* 104.
§. XXVIII. *De præparatione neceſſaria ſecundùm D. Bernardum.* 105.
§. XXIX. *De præparatione neceſſaria ſecundùm D. Thomam.* 106.
§. XXX. *De præparatione neceſſaria ſecundùm S. Bonauenturam.* 107.
§. XXXI. *Concluſio ex prædictis Patrum teſtimonys.* 108.
§. XXXII. *De cura conſeruandi nutritionem Euchariſticam.* 109.
§. XXXIII. *De virtute Sacramenti Pænitentiæ.*

tiæ. 111.

§. XXXIV. *De æſtimatione, & reuerentia Sacramento Pænitentiæ debita*. 112.

§. XXXV. *De præparatione ad Sacramentum Pænitentiæ*. 113.

§. XXXVI. *Præparatio ad Abſolutionem Sacramentalem iuxta Innocentium Primum*. 114.

§. XXXVII. *Præparatio iuxta Sanctum Leonem Papam* 115.

§. XXXVIII. *Præparatio iuxta Sanctum Gregorium Papam*. 116.

§. XXXIX. *Rationes, quæ mouerunt Sanctos Patres ad exigendam Pænitentiæ impletionem ante abſolutionem Sacramentalem*. 117.

§. XL. *Aliquot Obiectiones, quæ fiunt contra prædictam Pænitentiæ praxim*.

OBIECTIO I. 129.

§. XLI. OBIECTIO II. 133.

§. XLII. OBIECTIO III. 141.

§. XLIII. *Rationes Tridentini Concilij pro neceſſitate, & fructu ſatisfactoriæ Pænitentiæ*. 148.

§. XLIV. *Quænam ſit mens Auctoris huius Moralis de praxi Pænitentiæ antiquæ*. 149.

§. XLV. *Praxis Pænitentialis Sancti Caroli Borromæi*. 150.

§. XLVI. *Regulæ ſeruandæ in Abſolutione Sacramentali iuxta S. Carolum Borromæum*.

PRIMA. 155.

SE-

§. XLVII. SECVNDA. 156.
§. XLVIII. TERTIA. 157.
§. XLIX. *De occaſionibus peccatorum ex Sancto Carolo.* ibid.
§. L. *Obiectiones contra regulas Sancti Caroli Borromæi.* 164.
§. LI. *Pro Coronide ſit teſtimonium Sancti Franciſci Xauerij.* 178.
§. LII. *De cura conſeruandi fructum Sacramenti Pœnitentiæ.* 179.
§. LIII. *De virtute Sacramenti Extremæ Vnctionis.* 180.
§. LIV. *De æſtimatione, & reuerentia Extremæ Vnctioni exhibenda.* 181.
§. LV. *De præparatione neceſſaria ad Extremam Vnctionem* 182.
§. LVI. *De cura conſeruandi effectum Extremæ Vnctionis.* 185.
§. LVII. *De Virtute Sacramenti Ordinis.* ibid.
§. LVIII. *De æſtimatione, & reuerentia huic Sacramento exhibenda.* 188.
§. LIX. *De præparatione neceſſaria ad hoc Sacramentum,* 189.
§. LX. *De cura conſeruandi effectum huius Sacramenti.* 192.
§. LXI. *De virtute Sacramenti Matrimonij.* 193
§. LXII. *De æſtimatione, & reuerentia huic Sacramento exhibenda.* 195.
§. LXIII. *De præparatione neceſſaria ad hoc Sacramentum.* 197.

§. LXIV. De cura conſeruandæ Gratiæ Matrimonialis. 199.
§. LXV. De Fide Diuina. ibid.
§. LXVI. Rationes credibilitatis. 200.
§. LXVII. De neceſſitate credendorum. 209.
§. LXVIII. De Profeſſione Fidei. 215.
§. LXIX. De Spe Diuina. 219.
§. LXX. De Charitate. 220.
§. LXXI. Concordia Moralis Chriſtianæ Naturalis cum Supernaturali. 223.
§. LXXII. Obligatio omnia referendi in Deum, velut in finem ultimum. 225.
§. LXXIII. Neceſſitas, & efficacia Orationis. 229.
§. LXXIV. De obligatione Papæ, ſeu Summi Pontificis. 232.
§. LXXV. De obligatione Epiſcopi. 233.
§. LXXVI. De officio Paſtoris, ſeu Parochi. 235.
§. LXXII. De obligatione Religioſi. 237.
§. LXXVIII. De obligatione Regis. 238.
§. LXXIX. De obligatione Nobilis. 241.
§. LXXX: De obligatione Iudicis. 242.
§. LXXXI. De obligatione Magiſtratus. 243.
§. LXXXII. De obligatione Mercatoris. 244.
§. LXXXIII. De obligatione Coniugati. 246.
§. LXXXIV. De obligatione Viduæ, & Cælibis. 247.
§. LXXXV, De obligatione filij familias, & ſerui. 248.

Spe-

Specimina Moralis Laxioris in praxi.

PARS PRIMA.

§. I. *Amor inordinatus ex parte obiecti.* 249.
§. II. *Amor inordinatus ex parte obligationis noſtræ.* 250.
§. III. *Amor inordinatus ex parte indigentis.* ibid.
§. IV. *Pallia Moralis Laxioris.* 251.
Amor inordinatus contra ordinem Iuſtitiæ Legalis.
§. V. *Circa Religionem.* 262.
§. VI. *Circa Pietatem.* 254.
§. VII. *Circa Obſeruantiam.* 255.
§. VIII. *Circa Gratitudinem.* ibid.
§. IX. *Circa Amicitiam, ſeu Societatem.* 256.
§. X. *Circa Veracitatem.* ibid.
§. XI. *Circa Liberalitatem.* 257.
§. XII. *Amor inordinatus contra ordinem iuſtitiæ particularis.* 258.
§. XIII. *Circa ablationem vitæ hominis.* 259.
§. XIV. *Circa ablationem bonorum fortunæ.* 260.
§. XV. *Circa ablationem famæ, vel honoris.* 262.
§. XVI. *Circa reſtitutionem in generali.* 264.
Circa reſtitutionem in ſpeciali.
§. XVII. *Circa bonum vitæ.* ibid.
§. XVIII. *Circa bona fortunæ.* 266.
§. XIX. *Circa bonum famæ, vel honoris.* 269.
§. XX. *Circa ordinem ſeruandum inter reſtituentes.* 270.

Circa virtutes remouentes impedimenta charitatis, &c.

§. XXI. *Circa Prudentiam.* 272.
§. XXII. *Circa Fortitudinem.* 278.
§. XXIII. *Circa Temperantiam.* 280.
§. XXIV. *Circa Humilitatem.* 281.
§. XXV. *Circa Manſuetudinem.* 282.
§. XXVI. *Circa Clementiam.* ibid.
§. XXVII. *Circa ſobrietatem diuitiarum.* 283.
§. XXVIII. *Circa ſobrietatem eſculentorum, & poculentorum.* 284.
§. XXIX. *Circa Caſtitatem.* 285.
§. XXX. *Circa modeſtiam in exterioribus motibus corporis.* 288.
§. XXXI. *Circa modeſtiam in exteriori apparatu.* ibid.
§. XXXII. *Circa obligationem generalem omnium hominum ad prædicta ſeruanda.* 289.

PARS SECVNDA.

§. I. *Circa Chriſtum.* 290.
§. II. *Circa gratiam in communi.* ibid.
§. III. *Circa gratiam Adæ.* 292.
§. IV *Circa gratiam Chriſti.* ibid.
§. V. *Circa Sacramenta Chriſti.* 294.
§. VI. *Circa Fidem Diuinam.* 296.
§. VII. *Circa rationes credibilitatis.* 297.
§. VIII. *Circa neceſſitatem credendorum.* 398.
§. IX. *Circa Profeſſionem Fidei.* 301.

§. X. *Circa Spem Diuinam.* 302.
§. XI. *Circa Charitatem.* 303.
§. XII. *Circa obligationem omnia referendi in Deum velut finem vltimum.* ibid.
§. XIII. *Circa neceſſitatem, & efficaciam orationis.* 306.
Circa obligationem ſingulorum Statuum.
§. XIV. *Circa vocationem ad ſtatum, & curas Eccleſiaſticas.* 308.
§. XV. *Circa obligationem Eccleſiaſticorum: & præſertim Paſtorum.* 311.
§. XVI *Circa obligationem Religioſi.* 313.
§. XVII. *Circa obligationem Regis.* 317.
§. XVIII. *Circa obligationem Nobilis.* 319.
§. XIX. *Circa obligationem Iudicis.* 320.
§. XX. *Circa obligationem Magiſtratus.* 321.
§. XXI. *Circa obligationem Mercatoris.* 322.
§. XXII. *Circa obligationem Coniugati.* 323.
§. XXIII. *Circa obligationem Viduæ, & Cælibis.* 324.
§. XXIV. *Circa obligationem Filij familias, & Serui.* 326.

FINIS.

AVCTARIVM PRIMVM
Circa reſipiſcentiam peccatoris. 329.
AVCTARIVM SECVNDVM.
Declaratorium mentis Authoris in hoc opere. 334

ERRATA.

Pag. 11. in titulo MONIALEM. pro MORALEM.
pag. 16. lin. 10. libentiſſiè pro libentiſſimè.
pag. 44. lin. 11. inuriosa pro iniurioſa.
pag. 50. lin. 12. continetur pro continentur.
pag. 56. lin. 22. generatum pro generatim.
pag. 60. lin. 19. coiugalis pro coniugalis.
pag. 65. lin. 8. deeſt, ſi, ante concupiſcentia.
pag. 77. lin. 13. omiſſum adde, *donec*.
pag. 85. lin. 20. ſi pro ſit.
pag. 92. lin. 18. fui pro ſui.
pag. 101. lin. 4. oportat pro oporteat.
pag. 143. lin. 15. Bleenſis pro Bleſenſis.
pag. 169. lin. 4. anuam pro ianuam.
pag. 199. lin. 12. coiunctionem pro coniunctionem.
pag. 229. lin. 19. quæ erat in Adamo, pro quæ non erat in Adamo.
pag. 254. lin. 10. patiam pro patriam.
pag. 273. lin. 1. diſenſiones pro diſſenſiones.
pag. 294. lin. 2. ſun pro ſunt.
pag. 296. lin. 10. perſuadatur pro perſuadetur
pag. 305. lin. 1. maritudine pro amaritudine.
pag. 317. lin. 13. ſanum pro ſanam.
pag. 337. lin. 6. poſt iuſtitiæ, deleatur (;)

Reliqua benignitati Lectoris corrigenda remittuntur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google